(BIBLE)
CORRO(Antonio): SAPIENTISSIMI/REGIS SALOMONIS/
CONCIO/De summo hominis bono,quam Hebraei/Cohelet,
Graeci & Latini Eccle-/siasten vocant,/In Latinam
linguam ab ANTONIO CORRA-/NO Hispalensi versa,...
(ornament)
LONDINI,/Per Iohannem VVolfium,expensis
ipsius Authoris,/1579./
8vo A-Aa8.
A translation of the Book of Ecclesiastes by
Antonio Corro,a Spanish Reformer who came to
England and occupied the office of Pastor to the
Spanish congregation in London,1568-70 and then
Divinity Lecturer in the Temple and later a
Divinity Lecturer in Oxford,from which city he
dates the dedication of this book. ALL CORRO'S
BOOKS ARE OF RARITY. This translation was turned

/over

into English in 1586 by Thomas Pye, who says that he had "overseen the presse" of this Latin version for Corro. Pye was a noted friend of the Spanish Reformers resident in England and did some literary work at Oxford, where he was Chaplain of Merton. S.T.C.2761(L.O.C.Dur.)

NO RECORDED COPY IN AMERICA.

A fine copy with the folding sheet before the first leaf of text preserved. Bound in sprinkled calf, blind tooled panels with corner ornaments on covers, m.e.


This is the first book with the imprint of JOHN WOLFE, the well known London printer. It has been suggested that he only got leave to print it if he gave the printing to Charlewood

SAPIENTISSIMI REGIS SALOMONIS CONCIO

De summo hominis bono, quam Hebræi Cohelet, Græci & Latini Ecclesiasten vocant,

In Latinam linguam ab ANTONIO CORRANO *Hispalensi versa, & ex eiusdem prælectionibus Paraphrasi illustrata.*

Accesserunt & notæ quædam in singula capita; quibus totius concionis œconomia, ac singularum ferè sententiarum Dialectica connexio, simul cum Rhetorica elocutione ostenditur.



LONDINI,
Per Iohannem VVolfium, expensis ipsius Authoris.
1579.

Libellus alloquitur Lectorem.

Cum pauci ſapiant, paucis placuiſſe laboro:
Difficile eſt multis, & placuiſſe bonis.
Inuidiæ morbo præſens malè iudicat ætas:
Iudicium melius poſteritatis erit.
Cogitur Habel quiſque ſuum ſufferre Cainum:
Dimexat fratrem frater, & ipſe necat.
Chriſtum nobiſcum qui prædicat, attamen atrox
In fratrem ſæuit, dixeris eſſe Cain.

Improbis diſplicere, magnum eſt
probitatis inditium.

Horat. Epiſt. 16. ad Quintium.

Mordear opprobrijs falſis? mutémque colores?
Falſus honor iuuat, & mendax infamia terret,
Quem? niſi mendoſum & mendacem?

ΤΑ
ΠΑΘΗΜΑΤΑ
ΜΑΘΗΜΑΤΑ

HONORATISSIMO VIRO D. THOMAE BROMLEIO

Summmo Angliæ Cancellario, Domino mihi multis nominibus obseruando.



VAM VARIÆ SEMPER fuerint de summo hominis bono mortalium opiniones, atque sententię, vir honoratissime; priscorũ Philosophorum disputationes, accuratéque hac de re conscripta volumina, satis superque testantur. Nam, vt Ciceronis libros de finibus bonorum & malorum omittam; vel vnus Varro centurias integras diuersarum de fœlicitate opinionum diligentissimè collegit. Sed è tanta sententiarum varietate, placuit nostris scholis, Peripateticorum retinere opinionem; qui in triplici bonorum genere, Animi videlicet, Corporis, atque (vt vocãt) Fortunæ, hominis fœlicitatem collocandam censuerunt: ac Beatitudinem statum horum omnium bonorum aggrega-

 tione,

tione, adeptionéq; perfectum definierũt. Ego verò, vt non is sum, qui hanc fœlicitatis definitionẽ, & bonorum partitionẽ, Stoica seueritate ad viuũ resecare, atq; exagitare aut possim, aut velim: ita cœlestis Philosophiæ atque sacrarum scripturarum de summo bono definitiones, reliquis omnibus, etiam doctissimorum Philosophorum placitis, non solùm anteponendas, sed vnicè etiam amplexandas & obseruandas sentio. Sic autem sacri scriptores docent: Beatus populus, cuius Dominus est Deus eius. Item, Beatus vir, qui timet Dominum; & in mandatis eius delectatur valdè. & alibi: Beatus vir, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Hæc Regius vates. Eius autem filius Salomon: Tu verò, mi gnate, Deum time, & mandata eius custodi: hoc enim est omnium hominum officium: aut (si mauis) bonum. Christus denique omnium perfectissimè & absolutissimè fœlicitatem definit, cùm ait: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum; & quem misisti, Iesum

Christum. Breuissima quidem definitio, sed quæ non tantùm Dei notitiam, sed & miseriæ sensum, atque oblati remedij cognitionem & approbationē exigat, vt fœlicitatis æternę atq; verę participes fiamus. & alibi: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Verúm ne nimis morosi videamur, locus etiam in Christianorum cœtu opinioni Aristotelicæ (si ita placet) concedatur: modò in animi præcipuè cultura, pietatis exercitijs, vel (vt vno verbo dicam) *παλιγγενεσία*, hoc est Renascentia (quæ operatione spiritus sancti per fidem in Christo fit) nostræ salutis prorā (quod aiunt) & puppim collocemus. Nā in Philosophica partitione illud sæpiùs cogitare, atque identidem secum deplorare solent pietatis studiosi, quòd cū pleriq; omnes, in Beatitate sua metienda & stabilienda, triplex illud bonorum genus intueantur & quærant; ab ijs, qui hæc bona non solùm tractāt, sed etiam (si ipsis credimus) veluti promi & condi alijs dispēsant, multa negligenter & præpostere fieri animad-

uertunt. Nam bona animi, (vt vineta egomet mea cædam) tractant Theologi: bona corporis dispēsant medici: bona deniq; externa iuris legúmq; periti moderantur. At ea negligentia, incuria, atque dispensatoribus indigna fidelitate: vt quibus se suáque homines committant, ferè ignorent: déq; idoneo tantis malis remedio inueniendo tantùm non desperent. Verùm quod ab hominibus fieri nequit: Deo est quàm facillimum. Atque idcirco asiduè est nobis inuocandus, vt afflictis tandem rebus succurrere dignetur. Intereà loci si in tanta opinionū varietate, morúmq; corruptela, abusus (qui non in rebus ipsis, sed in personis potiùs hærent) reformari nequeant; illud saltem vnicuiq; liberum esse arbitror; vt se ad pietatem componat, & in bonis animi acquirendis & conseruandis, Christo cœlesti doctori patulas aures præbeat; spiritui sancto se docēdum committat, præcones diuini verbi ita audiat, vt ad inanes illorum controuersias tāquam surdum atque mutum se exhibeat. Deinde in corporis valetudine aut conseruanda, aut recu-

recuperanda, ea victus ratione vtatur, rerúmq; aliarum moderato vſu, vt propter ſuam intemperantiam, in eorum medicorum manus non incidat; qui vt ſibi diuitias parent; aliorum vitam ne pili quidem facere videntur. Poſtremò in bonis externis acquirendis, aut defendendis, litibúſq; forenſibus euitandis, vel reſecandis; quis conſiliũ Chriſti repudiare audeat? cur (inquit) per vos ipſos non iudicatis, quod iuſtum eſt? Enimuerò dum abis cum aduerſario tuo ad magiſtratum, da operã in via, vt liberêris ab eo; ne pertrahat te ad iudicẽ, & iudex te tradat exactori, & exactor te cõijciat in carcerem. Dico tibi non exibis illinc, vſq; quò vltimũ etiam quadrantẽ reddideris. Sic enim ſolent homines vitiligatores, & ſui atq; externorũ bonorum cæci amatores, ac proinde rixoſi & pertinaces, ſeſe litibus forẽſibus implicare; atq; in altercationibus paterna bona conſumere, vt ſuæ tandẽ ſtultitiæ præmium ferant. Itaque ter atq; quater fęlices illi, qui conſiderant, ſe in hac vita ciuitatem non habere permanentem, ſed futuram inquirere; qui

cogitãt, tam parum superesse vitæ, vt non sit necesse, tanta cũ sollicitudine, rixis, litibus, atq; dissidijs, viaticum tam diuturnũ sibi comparare. Qui (inquã) cogitant omnes homines æquali naturæ lege esse mortales, pauperiorem, ditiorem, nobiliorem, ignobiliorẽ: Deúmq; ipsũ sic disposuisse, atque gubernare omnia, vt ad sua principia tandem sint reuersura. Certè inter mortales fœlicissimus is est, qui hoc accepit à deo beneficij, vt nihil amplius, neq; magis optet, quàm quod satis est. Et cui tantum boni est à Deo concessũ, eo commodè & hilariter vtatur, securus honoris, opũ, exquisitiq; apparatus & splendoris; quæ omnia sensus sua voluptate delibutos demulcẽt, sed eos tranquillare, gratáq; quiete & leni somno beare nõ possunt. Imò (ꝙ plerìq; omnes experimur) ꝑturbare grauiùs, mentémq; è sua sede mouere crudeliùs. Vt in pauca conferam; egregium, mea quidẽ sententia, reformationis genus esset, renascentia: qua homines suæ Christianæ professionis memores, dissidijs & litibus supersederent, atq; in memoriam reuocãtes Seruatoris nostri dogmata, intelligerent,

(vt piè quidam annotauit) Christum cœlestem doctorem, eum populum in terris instituisse, qui totus è cœlo pẽderet, & omnibus huius mundi præsidijs diffisus, alio quodam modo diues esset, alio sapiẽs, alio nobilis, alio potens, alio fœlix; quippe cõtemptu rerum omniũ, quas vulgus admiratur, fœlicitatẽ consequeretur: qui nesciret spurcam libidinẽ, vtpote sponte sua castratus, Angelorũ vitã in carne meditans; qui nesciret diuortiũ, quippe nihil nõ malorũ vel ferens vel emendans; qui nesciret iusiurandum, vt qui nec diffideret cuiquã, nec falleret quẽquam; nesciret pecuniæ studiũ, vt cuius thesaurus in cœlis esset repositus; nõ titillaretur inani gloria, vt qui ad vnius Christi gloriam referret omnia; nesciret ambitionem, vtpote qui quo maior esset, hoc magis propter Christum se submitteret omnibus; qui nesciret ne lacessitus quidem vel irasci, nedum vlcisci, quippe qui & de malè merentibus benè mereri studeret; qui ea morũ esset innocentia, vt vel ab Ethnicis comprobaretur; qui ad infantulorum puritatẽ, & simplicitatem veluti renatus esset; qui volucrũ ritu in diem

viueret: apud quem ſumma eſſet concordia, nec alia prorſus, quàm membrorũ corporis inter ſeſe: in quo mutua charitas omnia faceret cõmunia: vt ſiue quid eſſet boni, ſuccurreretur cui deeſſet; ſiue mali quippiam, aut tolleretur, aut leniretur officio: qui doctore ſpiritu ſancto, ſic ſaperet, qui ad exèmplũ Chriſti ſic viueret, vt ſal, vt lux eſſet orbis, vt ciuitas eſſet in edito ſita, omnibúſque vndique conſpicua: qui quicquid poſſet, id omnibus iuuandis poſset: cui vita hæc vilis eſſet, mors optanda immortalitatis deſiderio: qui nec tyrannidem timeret, nec mortem; nec ipſum adeò Sathanam, vnius Chriſti fretus præſidio: qui modis denique omnibus ſic ageret, vt ad extremum illum atq; optatiſsimũ diem ſemper eſſet accinctus ac paratus; ad capeſſendam videlicet, veræ atque æternæ fœlicitatis poſſeſſionem.

Hæc breuiter in Solomonis noſtri Eccleſiaſtem de ſummo hominis bono, vir honoratiſsime, viſum eſt præfari: quæ in heſternis diſputationibus comitiorum Oxonien-

Oxonienſium, memoriæ occurrebant. Vnius enim diei ſpacio (vti noſti) diſſerunt in hac celeberrima academia Theologi, de bonis animi; Medici, de bonis corporis; & Iuriſperiti, de bonorum externorum acquiſitione & conſeruatione. Porrò de hoc triplici bonorum genere ſatis copioſè diſſerit noſter Solomon in hac ſua diſputatione, noſtra paraphraſi explanata; quam multas ob cauſas tuæ dignitati dedicandam exiſtimaui. Primùm quòd in veſtro templo inter prælegendum fuit elaborata, atq; ex meis prælectionibus ibidem ante ſeptennium habitis collecta. Deinde quòd toto illo tempore ea beneuolentia atque amicitia me es proſequutus, vt te cum ornatiſsimo tuo fratre Georgio Bromleio, præ reliquis omnibus illius cœtus ſenioribus, fauentiſsimum ſemper habuerim. Quid quòd filius tuus primogenitus, Henricus Bromleius, optimæ ſpei adoleſcens, eo eſt erga me animo, vt patrem amicitiæ officijs ſuperare ſtudeat? Denique cognati, affines, adeóque quotquot ſunt in tua familia, certatim quærunt

occa-

occasiones,vt de me bene mereantur. Huc etiam accedit, quòd cùm nuperrimè sis euectus ad eum summi Cancellariatus gradum,vt(secundum Regiam Maiestatem) in iure dicundo summum locum in hoc regno teneas: mihi visum est, isto commentariolo tuam dignitatem Salomonis sapientissimi Regis veluti ore, ad hanc de summo hominis bono disputationem, inter grauissimas tuas occupationes,perpendendã excitare. Habuit olim Rex Macedonũ Philippus, Alexandri pater, cubicularium ei muneri destinatum, vt singulis diebus matutino tempore Regi hæc verba recitaret: Philippe memento te essé hominem. Quod si libet,hoc ipsum munus non illibenter præstabit hic Salomonis libellus; qui hanc sententiam identidem tuis auribus insonabit: Memento Creatoris tui; & mandata eius custodi: hoc enim est cuiusq; hominis officium. Quoniam omne factum Deus adducet in iudicium, siue bonum,siue malum sit. Vt tandem finiam; quæso vt hoc meum erga tuam dignitatem officium, æqui boniquc,pro tua

erga

erga me solita humanitate, velis consule-
re. Vale, vir honoratissime; Deúmque,
precor Opt. Max. vt tuam Dignitatem
diu seruet incolumem, tuísque conatibus
per suum spiritum ita adsit; vt Anglicana
Ecclesia in veræ doctrinæ puritate, Res-
publica in politica tranquillitate, tua
opera foueatur atque conserue-
tur. Oxonio; ex Ecclesia
Christi. Idibus Iulij
1579.

Tuæ Dignitati

ex animo deditissimus:

Ant. Corranus.

Pag.46.lin.1.leg.accepit. p.60.l.6.in text.hæc agi p.61.l.14.Secundi membri.p.65.l.18.capras.p. 69.l.25 in tex.Sole.p.73.l.21.Atqui.p.74.l.20.impendet.p.79 l.18.industrio.p.79.l.17.toleras?&,pen.damnas?p.81.l.3 amicis.p.84.l.16.moderandos.p.85.l.1.voluntate.p.92 l.8.tertium.&.21.tertio.p.95.l.9. sicut mors huius, sic mors huius,& fl.p.98.l.22.post,feris:adde,relictis:p.110 l.11.scientia.p.116.l.4.adde,aduersantur.p 127.l.4.illa 154.l.20.expetitam. 155.l.17.ex hoc.&.18. euthumian &,autarceian.& 20.conciliant.p.170.l.9. tex.sapientia p.192.l.12.immoror.p 194.l.20.periisti.p.196 l.4.sint. & 7.illud.p.198.l.9.in quam, sine parenth. p.204.l.24 æternis.p.207.l.22.meta.p.220.l.6.militari p.241.l.10 abscedit.p.243.l.11.minimum.p.261.l.12.ducat.p.263 l.14.post fit:adde,vt.

In notis.

P.274.l.14.Scribendi.p.275.l.15.iudicare.p.276.l.10. adde,ex.p.279.l.10.facit.ibid..l.26.adde,&.p.282.l.10 calore.p.284.l.11.dele,quæ.p.286.l.15.eandemque.p. 292.l.12.præcipuis.p.294. l.16.se ad. p.295. l.6.pastionem.p.298.l.23.maximè.299.l.4.animum.ibid.l.6.accidat.303.l.15.adde,perficiendas.p.304.l.16.hac.p.305. l.10.assiduum.ibid.19.dele,id est.ibid.26.nascuntur.p. 306.l.20.perspicere.ibid.23.conuenire.p.310.l.24.sint sup.p.312.l.3.ignorantia.313.l.19.ocyssimè.p.314.l.16 multis.ibid.l.21.immensis.p.317.l.18. adde,ad p.319.l. 23.in terra.p.322.l.2.impenditur.ibid.l.23.capit p.223. l.11.sic comp.p.328.l.7.terræ limo.ibid.l.8.terrenus.p. 332.l.12.eam.p.336.l.6.incipit.p.337.l.22.ipsi.p.342. l.19.dele.&.p.344.l.8.quaque.p.345.l.1.fit ib.l.6.vituperandam.347.l.17.accuratiorem.ib.l.22.destituatur p.351.l.15.continetur.p.356.l.17.regionis.p.357.l.18. vt etiam.p.359.l.18.animos.p.360.l.25.sententia.p 361 l.24.omnino.p.363.l.10.dele,&.ibid.l.18.versiculis.p. 365.l.19.veneno.p.367.l.7.vtraque.p.368.l.19.operata.p.370.l.8.explanato.ib.l.25.indicii.p.272.l.19.imbrem.p.373.l.17.operum.p.375.l.12.rabiosum.ib.l.15 appetitusq..p.378.l.9.imminuto.p.381.l.24.sermones. p.382.l.14.prælect,ib.l.vlt,dignissimæ,&,prælectiones, &,mandentur.

ANTONIVS CORRANVS HISPALENSIS *Candido Lectori.*

NON dubito, benigne lector, quin audax facinus quibuſdam facere videar: quòd poſt tot doctiſsimos viros, qui in hanc Solomonis concionem commẽtati ſunt, in eáque explicanda deſudarunt: meos quoque in eandem labores, in lucem proferre non pertimeſcam. Cùm, niſi quid melius perfectiúſque, quàm illi, profero: temeritatis notam, quam vana quædam pepererit ſcriptitandi prurigo, videar incurſurus. Sin autem quid maius illis profiteor, arrogantiæ crimen fortaſſe non effugero. Ego verò vt mihi planè nihil arrogo, quinetiam præclarè mecum agi puto, ſi vel in infimo literatorum choro conſiſtam: ita viciſsim liberum vnicuique eſſe exiſtimo, cogitationes ſuas abſque arrogantia in medio ponere: præſertim cùm penès eccleſiam (cui omnia mea ſcripta conſecro, perpendendáque offero) ſit iudicium: quæ bona ſunt amplecti, quæ minùs probantur reijcere. Neque tamen ijs aſſentior, qui temerè, quicquid in buccam venit, ſcriptis ac typis toti orbi lectitandum committunt: quorum vitio iam pridem factum eſt, vt & ea, quæ benè ſcripta erant, ſint obſcurata: & quæ nunc à quibuſdam benè ſcribuntur, in tanta ſcribentium turba, authoritatem fructúmque ſuum amittant. Sed quemadmodum iſtorum temeritatem damno: ita & illorum iudicium non recipio

cipio

cipio, qui sic à maioribus elaborata atque absoluta putant omnia, vt ijs nihil addi aut possit, aut debeat. Perinde ac si Dei Spiritus, ita totus quibusdam sit astrictus, vt non alijs etiam donorum aliquid conferat: ac non vel indocto sæpè aliquid aperiat, quod acutissimis etiam, ac doctissimis alioqui denegauit. Quid quòd vna eademque res, variè tractata, nouóque schemate & quasi veste induta, alijs atque alijs temporibus, & hominum ingenijs fit accommodatior? vt quos commentarij non delectant, eos capiat paraphrastica explicatio: & quibus non sapit paraphrasis, ij se ad commentarios lubentiùs cōferant. Postremò, cùm posteriores priorum fruantur iuuentúrque laboribus: non modò ex omnibus optima quaque possunt seligere, & quæ a singulis sparsim benè dicta sunt, repudiata palea, in vnum quasi salubre ac præstans corpus compingere: verumetiam, quæ in singulis abscondita latebant, ea (collatione ipsa verum quasi suggerente) solerter eruere, & quod factu dicitur haud difficile, inuẽtis etiam aliquid addere. Quibus omnibus fultus ac confirmatus, ad librũ Salomonis, quem Hebræi Kohelet, Græci Ecclesiasten inscripserunt, paraphrasi explicandum accessi: eóque confidentiùs, quòd nulla ad huc extaret paraphrasis, quæ cuiusquam doctoris iudicio magnopere probaretur: cùm ipsum concionatoris scopum omnes aut neglexerint, aut non sint assecuti, nec methodum vllam in tractando seruauerint, nec sentẽtias, ex quarum apta inter se cõnexione, omnis penè totius concio-

nis

nis venustas, atque etiam vtilitatis bona pars dependet, colligarint: sed in singulos versiculos, vti absolutas diuersorum locorum gnomas, suo more sint commentati. In quem proculdubio errorem, ex scopi, seu status ignoratione sunt inducti. Nam Paraphrastes Chaldaicus, reclamantibus doctis omnibus, atque adeò re ipsa prorsus aduersante, totam concionem ad circumstantiam defectionis Roboami detorquet. Græcus, præterquam quod statum quæstionis nullum ostendat, græcam versionem sequutus, (quæ sæpenumero toto cœlo ab Hebraico contextu dissidet) versiculos singulos ita circumloquitur, vt non authoris mentem explicasse, sed in verborum duntaxat cortice hæsisse videatur. Ioannes Campensis vir alioqui insigniter literatus, vulgatam editionem ἐκφράσει potius, quam paraphrasi conatus explanare, in eosdem ferè scopulos impegisse videtur. Quem verbatim ferè sequutus est Eobanus Hessus, Poeta Germanus. Porrò Thomas Dranta & nonnullus in sua poësi meas prælectiones est secutus prioribus capitibus: sequentibus verò alios interpretes, quia me lentè progredientem in publicis prælectionibus expectare, molestum ducebat. Iam verò quod ad commentarios attinet, (quia de singulis iudicium facere, absque arrogantia vix possem.) illud in genere dicam, nullum me adhuc vidisse omnium, qui mea quidem sententia, verũ authoris scopum sibi proponeret, ad eúmque totum disputationis filum dirigeret. Itaque Græci ferè omnes doctores, atque hos sequutus ex Latinis Hieronimus, exi-

stimarunt, Solomonem hîc in rerum physicarum explicatione versari. Recentiorum pars melior, Solomoni propositum fuisse volunt, diuinam asserere in rebus humanis prouidentiam, alij damnari censent nimios labores, nimiam curam ac sollicitudinem: contráque doceri, læto hilaríque animo nostris laboribus vitaque commoditatibus esse fruendum: denique alij alios fines sunt commenti, vt in tanta commentariorum multitudine, vix vnus atque alter sit, qui scopum attigerit: idque adeò leuiter, vt perstrinxisse potius, quàm ostendisse, incidisse in eum, quàm inuenisse, certóque statuisse videatur: vt operę pretium facturum me putarim: si vel scopum authoris, quasi digito aßignarem, ad eúmque vniuersam orationem dirigi oportere, monerem, & sparsas vagásque sententias, quæ ad nullum certum finem tendere, nec coniungi vllo modo posse videbantur, inter sese (quoad eius fieri posset) cōnecterem, & ad scopum suum accommodare tentarem. Quod fortasse in tanta difficultate, perplexitatéque minus alicubi fœliciter feci, & nonnulla (vti reuerà sunt) aliquantum detorta, & ad certum finem violentiùs tracta videbuntur: illud candoris tui erit (lector benignissime) cogitare, perfectionis laudem simul & inuentionis, penès vnum esse non solere: & aliquanto difficilius, de integro aliquid inuenire, quàm ab alijs excogitata, deinceps elaborare atque perpolire. Quicquid est, (quod sine arrogantia dictum velim) videor mihi, industrijs hominibus viam aperuisse,

saltem animum addidisse: vt conari in posterum ea audeant, quæ anteà ne fieri quidem posse cogitabant. Quid, quod perlustratis plusquam quindecim trium linguarum scriptoribus, qui in authorem hunc aliquid sunt commentati, optima quæque decerpsi, & in paraphrasim meam, quanto certè potui cum delectu ac iudicio, contuli? Quòd plerísque ex philosophorum fontibus (quoniam de fine bonorum instituta Salomoni est disputatio) haustis, sententias, locósque communes, qui frequentes incidunt, copiosiùs tractando illustraui? Quòd denique totam orationem partitus, & in sua mēbra digerens, non inconcinnum quasi corpus quoddam compegi, methodúmque si non optimam, at certe aliquam, quæ nulla videbatur, ostendi. Perspicuitatis postremò adhibendæ gratia, latinam versionem hebraicæ veritati, quantum fieri potuit, verbatim respondentem, ad marginem apposui. Additurus (vt spero) vbi maius otium fuero nactus, singularum sententiarum connexionis rationes, magísque particularem methodi explicationem, cum annotatiunculis, quæ hebraici contextus obscuritatem illustrent. Sed vereor (benigne lector) ne tibi prolixa operis nostri commendatione grauior sim quàm vtilior, cum id re probari, quàm verbis amplificari, & melius sit & cordatius. Quare, tametsi vel ex ipsa paraphrasi haud difficile sit attento lectori, statum siue scopum, methodum, & rationem totam perspicere: non abs re tamen esse duxi, seorsim hîc eadem quasi μιᾷ συνόψει, legentium oculis subijcere.

Compendiosa methodus totius concionis.

*SCopus igitur, seu præcipuus authoris finis, mea qui-
dem sententia, hic est, vt inuestiget ostendatque
quidnam illud sit, in quo summū illud hominis bonum,
consummatáque fœlicitas consistat. Quod ita esse vel
ex eo apparet, quod per varia discurrens, in quibus
homines fœlicitatē ponunt, ad finem vniuscuiusq. tra-
ctationis, negat in his beatitatem esse sitam, atq. va-
nitati obnoxia pronuncians, singula repudiat, ac tan-
tisper vestigat, dum illud, quod affectat bonum ri-
mando inuenit, & ad extremum ἐπιφωνήματ. quo-
dam, se per totam concionem id quæsisse, manifestè de-
clarat, dum postremo capite dicit, Summa sermonis
hæc est: Deum time, & mandata eius serua, quia hoc
est omnis homo. Porrò duæ sunt præcipuæ totius con-
cionis partes, quarum prior recitationem confutatio-
némq. continet falsarum de summo bono opinionum,
quas sibi errore quodam homines, diuini spiritus luce
destituti, confingunt: Altera docet, in quo genuina,
vera & solida fœlicitas, cùm in hac, tum in futura vi-
ta sit posita: diligentissiméque ostendit, quid sit finis,
quid vltimum, quid extremum, quò sint omnia rect
faciendi, benéq. viuendi consilia referenda: quid sequ
conueniat, vt summè in rebus expetendum, quid contr
fugere, vt extremum malorum. Illa prioribus sex, hæ
totidem reliquis capitibus continetur. Estque ade
methodus hæc perspicua, & ad διχοτομίας canone
exacta, Par enim est, vt de fœlicitate acturus Solo*

mon

non, eam prius diuidat in falsam, & veram: deinde veram rectè definiat. Nempe priùs fugiendum est malum, quàm sequendum bonum: iuxta illud Prophetæ: Diuerte à malo, & fac bonum &c. Atque hæc etiam est Germana Catecheseos methodus, vt proposita primùm pœnitentiæ doctrina, quæ nos ab erroribus vitiísque abducat: deinceps in fide, veróque Dei timore instituamur. Quemadmodum docet Isaias ca 1. Desinite agere peruersè: discite autem benefacere.

Porrò autem priorem concionis partem, de falsa fœlicitate, ad hanc argumentationis formam, commodè retulerimus. Nullum molestum, vanum, atq. caducum, potest hominem beatum facere: omnes mundi res, omniáq. mortalium studia, vana, molesta, caduca sunt.

Nullæ igitur mundi res, nulláque mortalium studia, beatos possunt reddere.

Propositio non indiget probatione, quia per se nota & clara est, vti axioma receptum, non tantùm in Ecclesia Israelitica, quam hîc sibi sumit instituendam Solomon: verumetiam apud omnes nationes: consentientibus nimirum diuinis oraculis, ratione ipsa, totáque adeò Philosophia. Assumptio probatu est difficilior, præsertim si consideremus, quanti faciant cæci mortales sua studia, inuenta, consilia, actiones, ceteráque omnia, quibus se fœlicitatem assequi posse arbitrantur: Cæterùm Solomoni, selecto ad hoc Spiritus sanctiore ano, singularique rerum cognitione ac sapientia imbuto

buto, nihil eſt facilius. Quippe vanitatem, atque inanitatem omnem humanorum ſtudiorum, ipſe multum diúque expertus, longiſsima atque ſufficientiſsima partium enumeratione, totum hoc manifeſtiſsimè probat, idque ordine apto imprimis, perſpicuo, ac compendioſo. Neque enim aut partes confundit, aut partium particulas curioſè & ſuperuacuè perſequitur, aut omnes mortalium falſas de ſummo bono opiniones (quæ, quia vniuſcuiuſque ſenſu finguntur, tot penè ſunt numero, quot capita: quas nec Varro, ducentas & octoginta quinque diuerſas commemorans, complecti potuit) non omnes (inquam) in theatrum producit, ac refellendas ſumit: ſed ad quatuor præcipua capita, omnes ferè omnium probabiliores ſententias reducens, ſingulas diſtinctè accuratéque perſequitur, varijſque argumentis, & maximè ex adiunctis, & effectis, refellit: quarum prima eorum eſt, qui in rerum mundanarum cognitione, ſapientiáque humana, beatitatis ſummam collocant: ſeſéque extendit à .12. verſiculo primi capitis, vſque ad initium ſecundi. Nam primis .11. verſiculis, nihil aliud, quàm fundamentum quoddam iacit, & quaſi viam quandam ſternit, ad probandum in rebus humanis nihil eſſe ſolidè beatum, dum ipſa elementa, ex quibus tum homines, tum humana omnia conſtant, vanitatis fragilitatiſque arguit. Secunda, eorum eſt, qui voluptates tum animi, tum corporis, ſummum bonum eſſe ſtatuunt finitque (vt prolixiori refutatione indigna) tribus tantum

pri

primis secundi capitis versiculis. Horsum etiam pertinent, qui vtráque ista, voluptatem scilicet cum sapientia, ad summi boni absolutionem coniungunt, atq. permiscent: (in quo errore versantur hoc nostro sæculo literati penè omnes) producitúrque, à vers. 4. cap. 2. vsque ad vers. 16. cap. 3. interiecta tamen longa parecbasi, qua confertur sapientia cum stultitia, & ex vtriusque effectis, quantùm illa huic præstet, ostenditur. quæ continuatur à vers. 13. secundi cap. vsque ad versum 18. capitis eiusdem. Tertia eos attingit, qui honores, magistratus, ac potentiam in Republica, extremum bonorum esse ducunt. Quo in numero sunt principes, ac dynastæ penè omnes, qui in honoribus ac potentia, fœlicitatis summam collocantes, multo subditorum suorum sanguine, imperij sui pomeria extendere, tyrannidémque semel acceptam, stabilire satagunt. Patet autem hæc disputatio, à versu 16. tertij cap. vsque ad cap. 5. vers. 9. ita tamen, vt ab initio capitis quarti vsque ad vers. 13. interserat miserias, quæ ex tyrannica ista administratione in Rep. nascuntur: & vitia, quæ ex maleficiorum impunitate, legúmque neglectu irrumpunt: nominatim verò æmulationem atque auaritiam, duas teterrimas Reipublicæ pestes, graphicè depingat. Quinto cap. opinio, & corruptela de superstitioso quodam ac vano Dei cultu inseritur, quem nonnulli, hac etiam nostra tempestate, plusquam Iudaicis superstitionibus dediti, contemptis reliquis bonis omnibus, vt caput fœlicitatis sedulò exercent: in eóque

miseri sibi applaudunt. Quæ disputatio nonnullas etiam egregias de vera religione, pietatéque præceptiones continens, octo primis quinti capitis versiculis terminatur. Quarta, & postrema eorum est, qui opes, atq. diuitias, finem bonorum sibi proponunt, quas si consequantur, beatè fœliciterque victuros se non dubitent: quo in genere est auara illa mercatorum cohors, & mundi melior portio: extenditúrque à 9. versu capitis quinti, vsque ad vers. 11. cap. 6. qui generalem prioris partis, quæ in falsa fœlicitate confutanda consumitur, epilogum complectitur.

Altera Concionis pars.

S*Equitur altera pars concionis, longè elegantißima vtilissimáque: in qua docetur, fœlicitatem, ad quam mortales tanto studio, sua quisque via insistens, grassantur, non alibi quàm in religioso serióque Dei timore sitam esse. Iuxta illud Psalmographi, Beati omnes qui timent Dominũ, qui ambulant in vijs eius. Et rursum, Beatus vir qui timet Dominum, & in mandatis eius delectatur valde, &c. Nam reliqua, quæ vel priori parte tractata sunt, vel his affingi possunt, vt fœlicitatem maximè promittant, tamen eam præstare non possunt: cùm & vanitatis, molestiarum, ac doloris semper aliquid coniunctum habeant, vt absolutè bona esse nequeant: & vt maximè syncera sint: tamen quia & in ipsa vita sunt incerta, atque amitti possunt, & omninò angustis huius vitæ spacijs terminantur, nec tranquillum, nec beatum, nec porrò fœlicem hominis animum*

animum efficiunt. Dei autem timor, & in vita ἀνταρκείαν atque εὐθυμίαν, seu animi tranquillitatem: & in morte, futuræ vitæ spem minimè dubiam facit: quibus vera & genuina fœlicitas absoluitur.

Nam & veram sapientiam parit Dei timor, & veram iustitiam: quarum illa, cùm vniuersam vitam modo ac ratione gubernet, rerum delectum habeat, & secundis iuxtà atque aduersis rebus vti norit: facit præterea vt sua sorte contentus homo, præsentibus læto animo fruatur, absentibus quærendis se non cruciet, fortunæ impetus non reformidet: sed totus aptus ex sese, in αὐταρκείᾳ viuat. De hac virtute sic loquitur Paulus 1. ad Timoth. cap. 3. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia, seu αὐταρκείᾳ; hoc est, animo sua sorte contento. Iustitia autem vitæ officijs, cùm erga homines, tum erga Deum fungens, tranquillam pacatámque reddit conscientiam, quæ non modò nullam sceleris pœnam pertimescat, sed intrepidè coram Dei tribunali comparere nõ dubitans, benè actæ vitæ præmia, etiam in ipso mortis articulo expectet. Quæ sanè vtrámque fœlicitatis paginam, perfectam, atque absolutam continent. His atque alijs plurimis argumentis, Solomon fœlicitatem in solo Dei timore positam luculenter ostendit: quorum omnium summa, ad vnam hanc argumentationem haud incommodè reducatur.

Quod hominis animum tranquillum, & pacatum reddere potest, tum in vita, tum in morte, id solùm

fœlicem & beatum hominem facit.

Atqui solus Dei timor, potest hominis animum tranquillum & pacatum reddere, cùm in vita, tum in morte.

Solus igitur Dei timor, reddit hominem beatum & fœlicem. Propositio notior est, quàm vt probationis omninò indigeat. Nam tum demùm fœlices nos iudicamus, cùm tranquillus animus nec dolet, nec metuit, nec sollicitè cupit, nec incerta sperat: sed in optimo certissimóque gaudio ac spe, quæ ex bona conscientia nascitur, conquiescit. Assumptio probatur ex geminis diuini timoris effectis, sapientia nempe, atque iustitia: quarum illa, quid sequendum, quid fugiendum sit docet: cauétque ne in electione bonorum hallucinemur: hæc officio suo erga Deum, proximos, & nosmetipsos fungitur: quibus duobus summa vniuersæ religionis, pietatísque, ac porrò αὐταρκείας, εὐθυμίας, & fœlicitatis continetur. Et quia effecta suis causis sunt notiora, & quid sit Dei timor alioqui futurum erat inuolutum, nisi per ea, quibus in rebus consisteret, explicaretur: ab his disputationem suam de Dei timore concionator orditur, atque in sapientiæ & iustitiæ, officiis explicandis, totus occupatur; vt non solum quidnam sit illud summum bonum, ad quod aspirare conueniat, ostendat: verum etiam qua via, quaque ratione id assequi possimus, doceat. De sapientia igitur, atque prudentia, quæ in rerum delectu versatur cap. 7. priori loco tractat; siquidem nemo, nec

iusti-

iustè, nec fortiter, nec temperanter poßit agere, nisi qui prudentiæ beneficio, quid horum vnumquódque valeat, quæ ratio, quæ via in his sit tenenda, antè cognitum exploratúmque habuerit. Eius porrò varia officia explicat: qualia sunt, bonam famam præ omnibus expetendam: mortem aßiduè meditandam: fugienda, quæ ad voluptatem incitent, contráque sectanda, quæ nos sobrietatis ac modestiæ commonefaciant: seueritatem grauitatémque lætitiæ anteferendam, castigationes correctionésque, libenter admittendas, palpones contrà atque adulatores amoliendos: calumnijs ac conuitijs vehementiùs commoueri non oportere, largitiones pecuniarias & δωροφαγίας vitandas, rerum finem atque exitum patienter expectandum, iracundiam, (vt rationi inimicam) refrænandam: pecuniæ vsum, non pecuniam diligendam, & si quæ sunt alia: quibus postremò breuem sapientiæ commendationem adiungit, fusiori cùm effectuum eius explicatione, tum laudatione, in finem noni capitis reiecta, quam à versu 13. vsque ad vers. 4. cap. 10. persequitur. Absoluitur autem prioris huius partis de sapientia tractatio, duodecim primis septimi capitis versiculis. Hinc alteram partem de iustitia plenißimè tractare aggreditur: quæ primùm diuiditur in eam, quæ est erga Deum, & eam quæ est erga homines: quarum illa pietatis, religionis, & εὐσεβείας nomine compræhensa, in eo consistit, vt primùm de Deo, eiusque prouidentia, in rerum humanarum administratione, benè

sentiamus

sentiamus: deinde debitum honorem cultúmque ei præstemus, producitúrque à versu decimotertio, vsque ad 16. eiusdem capitis: quam postea octauo capite resumit, atq. à versu 9. vsque ad 13. cap. 9. fusius persequitur. Hæc verò iustitia, quæ homines spectat, multifariàm diuiditur. Nam aut erga viros est, aut erga foeminas, quæ ferè tota versatur in vtróque iustitiæ extremo vitando, tenendóque ἐπιεικείας modo, & in aliorum delictis, cùm erga nos, tum erga alios, partim corrigendis, partim ferendis: producitúrque à versu 16. vsque ad initium capitis octaui: vbi paucula de sapientiæ laudibus suo more inserens, incipit alteram iustitiæ diuisionem, quæ est, de officijs subditorum erga principes, seséque porrigit, à vers. 2. vsq. ad 8. vicissímque principum erga suos subditos. Tractatus verè regius, dignissimúsque adeò qui hoc nostro turbulentissimo sæculo, imorum iuxta ac summorum manibus teratur: vt vel hinc discant subditi, obedientiam, atque obseruantiam summam, cum dictis, tum factis, regibus præstandam: et (quantum quidem conscientia patitur) quiduis potius ferendum, perpetiendúmque, quàm vt rebellionem contrà principem moliantur. Reges meminerint, sibi ex iuris atque æquitatis præscripto, non ex animi libidine, Remp. gubernandam: quippe quibus sceptrum iustitiæ, clementiæ, ac subditorum salutis, non crudelitatis, tyrannidis, ac perditionis, à Deo sit commissum. Quam in partem, cum vulgo à principibus pec-

cari animaduerteret, sapientissimus ille rex Solomon, viderétque subditos exemplo suorum principum insanire, atque ita vtrósque, in omne flagitiorum genus, pronos ruere, eam denique esse huius vitæ conditionem, in tanta morum corruptela, vt virtus fraudi, improbitas præsidio esse videretur: vnde etiam liberiorem peccandi ansam, tam subditi quàm reges arriperent: ne hinc offendantur piorum animi, in prolixam, sed valde vtilem, atque necessariam disputationem, de Dei prouidentia, ac diuinæ iustitiæ oeconomia digreditur, quàm licèt impij irrideant, ac nullam esse putent, quia nullum manifestum discrimen diuinæ iræ ac beneuolentiæ, erga bonos ac malos, ex vtrorúmque euentibus appareat: cum ijdem ferè vtrósque maneant: tamen non oportere ob id animis concidere, aut Dei arcana curiosiùs perscrutando, se fatigare contendit: certò illud statuentes, vt impijs omnia ad voluntatem in hac vita fluant, ijs tamen benè esse non posse: at pios contrà, licèt omnibus vndique aduersitatibus concutiantur, non posse non (quæ Dei est iustitia) verè beatos, ac Dei amicos esse: cùm & in hac vita, conscientiæ tranquillitate fruantur, & spem melioris in futuro sæculo conditionis, animo concipiant: Consilium suum interim subinde inculcans, vt diuini timoris studiosi, de Dei oeconomia rerúmque euentis securi, præsentibus Dei bonis, hilari animo, cum gratiarum actione fruantur. Est autem hic tractatus aliquanto perturbatior

turbatior, incipítque à verſu 9. capitis 8. atque extenditur vſque ad verſum 13. cap. 9. Et quia rerum euentus in Dei manu eſſe poſitos oſtenderat, non in noſtris conſilijs humanáque ſapientia: ne quis hinc ſuſpicaretur eum ſapientiam ac ſtultitiam iuxta habere, ac prudentiam atque imprudentiam eodem loco ponere, iterum in laudes ſapientiæ digreditur: quantúmque illa huic præſtet, ex vtriuſque effectis oſtendit. Quæ digreſſio patet à verſu 13. cap. 9. vſque ad verſ. 4. cap. 10. Hinc redit ad diſputationem de mutuis erga ſe iuſtitiæ officijs, cùm principum, tum ſubditorum: quæ ſubiungenda eſt octauo verſiculo capitis 8. vt ita tota ſecunda iuſtitiæ diuiſio, tribus capitibus, octauo, nono & decimo abſoluatur, interiecta tamen longa illa, & perturbatiore diexodo. Porrò ſex prioribus verſiculis 11. capitis, ad liberalitatem, & eleemoſinam, non minimum iuſtitiæ exercitium, ſedulò cohortatur: atque ita tractationem de ſapientia ac iuſtitia, diuini timoris effectis, totam concludit. Hinc reliqua operis pars ad calcem vſque totius concionis, perorationem complectitur: in qua, conſilium ſuum, atque ſententiam de ſummo bono, aperit: quod totum, in religioſo, veróque Dei timore, poſitum eſſe confirmat. Qui quoniam veram ſapientiam atque iuſtitiam pariat, ex quibus rurſum (tanquam à parentibus proles) αὐτάρκεια atque εὐθυμία naſcuntur, & in hac vita, (eam quam humana conditio capit) beatitatem conciliat: & ſolidæ illius fœlicitatis, in vita demum futura conſum-

mand-

manda, causam ordinatam & indubitatam spem, in se complectitur: in hunc igitur Dei timorem, vt statim ab ineunte adolescentia incumbamus, seriò hortatur: antequam ἄπρακτος illa, & desidiosa senectus, ac demum mors (quæ vtráque nobis elegantissimè, artificiosissiméque per ænigmata, & similitudines aliquot describit) inopinantes opprimat: & spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit eum. Atque hæc est præstantissima istius de summo hominis bono concionis methodus: haud ita fortassis exacta, sed ea, quam pro rei natura, nostrique ingenij tenuitate, inueniri potuimus: quæ si quid lectori perspicuitatis, in hoc tam obscuro alioqui tractatu, (vti confido) est allatura, abundè magnum præmium laboris mei retulero: sin minus, voluntatem certè & studium meum, æqui rerum æstimatores (opinor) non damnabunt. Quod reliquum est, hortari non dubitabo veræ pietatis studiosos omnes, vt hanc concionem diligentissimè, attentissiméque euoluant: vt quæ & dignitate, & multiplici fructu, atque vtilitate, vix cuiquam ex sacris libris cedat. Habet enim authorem, regem Solomonem, singulari Dei beneficio, mortalium omnium, qui vel fuerunt, vel futuri sunt, sapientissimum. Materia porrò, de summo bono est, qua nec sublimior vlla, nec vtilior, nec hominis consideratione dignior. Quam ea methodo tractat: vt nos primùm abducat à cupiditate, atque amore rerum mundanarum, quibus nimiùm (proh dolor) natura nostra capitur, atque à peruerso eorundem

vsu

vsu, & nimia sollicitudine quærendi ac conseruand ea, quæ beatos reddere mortales non possunt, abstra hat. Deinde ostendat legitimum, verum, ac Deo gra tum huius vitæ commodorum vsum, & quo pacto abs que præpostera euentuum sollicitudine, & anxietate, præditi diuino timore, possimus omnibus rebus frui cum animi tranquillitate, atque αὐταρκείᾳ, æter námque tandem & nunquam intermorituram fœlici tatem, in Dei timore & obseruatione mandatorum eius sitam, assequi. Postremò infinitos propè locos com munes, tam philosophicos quam theologicos, passim dis seminet, quibus, in omnem vitæ partem meliores, do ctiores, prudentioresque reddamur. Vale lector can dide, mecúmque Deum precare, vt Ecclesiæ suæ eam tranquillitatem præbeat, quam Christus eius vnige nitus filius, adeóque prisci vates nouissimis temporibus futuram promiserunt.

Londino anno Domini

1574.

ap. I.
ersio He-
aica ve-
ati re-
ondens.

Delineatio totius concionis, seu mauis disputationis, de summo hominis bono à Solomone instituta.

Per Ant. Corranum Hispalensem.

Scopus, seu præcipuus authoris finis hic est, vt inuestiget, ostendátque quidnam illud sit, in quo summum hominis bonum, consummatáque fœlicitas consistat. Quod ita esse, vel ex eo apparet, quòd per varia discurrens, in quibus homines fœlicitatem ponunt, ad finem vniuscuiúsque tractationis negat in his beatitatem esse sitam: atque vt vanitati obnexia pronuncians singula repudiat.

Porrò duę sunt pręcipuę totius concionis partes: Quarum

Prior recitationem confutationémque continet falsarum de summo bono opinionum, quas sibi errore quodam homines diuini spiritus luce destituti confingunt: eásque reducit ad quatuor præcipua capita, idque sex primis huius libri capitulis.

1. *Prima eorum est, qui in rerum mundanarum, sapientięque humanę cognitione, Beatitatis summam collocant. seséque extendit à* — *Vers. 12. cap. 1. vsque ad ini[...] secundi. Nā primis vndecim [...] siculis nihil aliud, quàm f[...] mentum quoddam futurę [...] tationis, rerum humanarum [...] actionum vanitatem osten[...] iacit.*

2. *Eorum est, qui voluptatem tum animi tum corporis, summum bonum esse statuunt: finitúrque tribus tantum primis versiculis secundi capitis.*

   Horsum etiam spectant, qui vtráque ista, Voluptatem scilicet cum sapientia ad summi boni absolutionem coniungunt atque permiscent. à — *Vers 4. cap. 2. vsque ad ve[...] cap. 3. interiecta tamen lo[...] recbasi qua confertur sa[...] cum stulticia, & ex vtri[...] effectis, quantùm illa hu[...] stet, ostenditur. Quę conti[...] à vers. 13 cap. 2. vsque ad [...] 18. capitis eiusdem.*

3. *Eos attingit, qui honores, magistratus, ac potentiam in Repub. extremum bonorum esse ducunt. Patet autem hęc tertij membri disputatio, à vers. 16. cap. 3. vsque ad vers. 9. cap. 5. ita tamen, vt ab initio capitis 4. vsque ad vers. 13. interserat miserias quę ex tyrannica ista gubernatione in Repub. nascuntur. Deinde vitia, quę in Rempub. ex maleficiorum impunitate, legúmque neglectu irrumpunt. Denique teterrimas in diuino cultu corruptelas, ex eodem fonte promanantes, obiter pręstringit; veríque cultus aliquot regulas veré religiosas pręscribit. &* — *Octo primis versicul[...] quinti terminatur.*

4. *Postrema eorum est, qui opes atq; diuitias finem bonorum sibi proponunt. Extenditúrque à* — *Vers. 9. cap. 5. vsque ad ver[...] decimum cap. 6. qui gene[...] prioris partis, quę in falsa [...] citate confutanda consumit[...] pilogum complectitur.*

Altera docet, in diuino timore genuinam & solidam fœlicitatem, cùm in hac, tum in futura vita esse positam: diligentißiméque ostendit, hunc esse finem, extremum, & vltimum, quò sunt omnia rectè faciendi, benéque viuendi consilia referenda. atque hęc postremis sex capitibus continentur. Dei autem timor nobis ingenerat.

1. *Veram sapientiam, quæ cùm vniuersam vitam modo ac ratione gubernat, [...] etiam rerum delectum genuinum docet. Incipit hîc tractatus, de rerum atque [...] nionum delectu à primo versu cap. 7. atque protrahitur per duodecim ver[...] los. Posteà verò sub finem noni cap. elegans est sapientiæ encomium, quod à [...] 12. vsque ad vers. 4. cap. 10. extenditur.*

2. *Veram iusticiam: de cuius officijs plenißimé tractare aggressus, eam di[...] habita ratione obiectorum, in* εὐσέβειαν, *quæ ad diuini numinis cultum pe[...] net: vbi de prouidentia, alijsque ad hanc rem pertinentibus obseruationibus: pro[...] citúrque à vers. 13. vsque ad 16. quam posteà 8. cap. resumit, atque à vers. 9. vsq[...] ad vers. 13. cap. 9. fusè copioséque persequitur.*

   Deinde iusticiam, quæ humanam societatem spectat, multifariam diuidit [...] officia tum erga viros, tum erga fœminas; & in vitijs vtriúsque sexus corrigend[...] ἐπιείκειαν, *commendat à ver. 16. vsque ad initium cap. 8. vbi paucula de sapien[...] tiæ laudibus inserit. Incipit deinceps alteram iustitiæ diuisionem, quæ est de off[...] cijs subditorum erga principes: quæ se porrigit à vers. 2. vsque ad 8. Vicißimqu[...] principum erga subditos: quæ in re cum vtrínque peccari soleat, ne hinc offendantu[...] piorum animi, in prolixam, sed valdè vtilem & necessariam disputationem de D[...] prouidentia, ac diuinæ iusticiæ œconomia digreditur. Est autem hic tractatus aliqua[...] to perturbatior, incipítque à vers. 9. cap. 8. atque extenditur vsque ad vers. 13. cap. [...] Porrò quia rerum euentus in Dei manu positos ostenderat, non in nostris consilijs [...] humanáque sapientia: ne quis hinc suspicaretur, eum sapientiam ac stulticiam iu[...] xta habere, ac prudentiam & imprudentiam eodem loco ponere: iterum in laude[...] sapientiæ digreditur; quantúmque illa huic præstet, ex vtriúsque effectis ostendi[...] Quæ digreßio patet à vers. 13. cap. 9. vsque ad vers. 4. cap. 10. Posteà redit ad di[...] sputationem de mutuis erga se iusticiæ officijs cùm principum, tum subditorum [...] quæ subiungenda videtur vers. 8. cap. 8. vt ita tota secunda iusticiæ diuisio tribu[...] capitibus. 8. 9. & 10. absoluatur: interiecta tamen longa illa diexodo. Porrò se[...] priorib. versibus capitis vndecimi ad liberalitatem & eleemosynam, sedulò adhorta[...] tur, atque ita tractationem de sapientia atque iusticia, diuini timoris effectis con[...] cludit vers. 6. Reliqua tandem operis pars ad calcem vsque totius concionis perora[...] tionem complectitur: in qua consilium suum, atque sententiam de summo bono ma[...] nifestiùs aperit: quod totum in Dei timore positum esse confirmat: ad eúmq. omne[...] ex æquo mortales adolescentes, præsertim antequam senescant, adhortatur: ipsámqu[...] senectutem graphicè depingens: suám concionem grauißima sententia obsoluit.*

Fructus huius doctrinæ quatuor ponit Solomon.

1. *Veram sapientiam: quæ delectum rerum, reliquásque prudentiæ partes docet.*
2. *Verā iusticiam, quæ suo erga Deum, erga nosmetipsos, erga alios siue superiores siue inferiores, munere fungitur.*
3. *In hac vita* αὐταρκείαν καὶ εὐθυμίαν, *hoc est, animum sua sorte contentum atque in rebus tum prosperis, tum aduersis tranquillum.*
4. *In morte, futuræ vitæ spem minimè dubiam, aut fallacem. Atque hisce partibus vera & genuina fœlicitas absoluitur.*

CONCIO SALOMONIS, QVAM HEBRAEI Cohelet, Græci & Latini Ecclesiasten vocant:

In Latinam linguam ab ANTONIO CORRANO *versa, & ex eiusdem prælectionibus Paraphrasi illustrata.*



ST ILLVD INGEnitum, atque à natura ipsa datum animantibus omnibus, & in his præcipuè rationis capaci, homini; vt quæ sibi nocitura videantur, declinet; ac quæcunq; in vita agit, ea boni alicuius, fœlicitatísq; adipiscendæ causa, faciat; ad eámq; omnes, velis equísq; (quod aiunt) contendant. Sed quemadmodum

Cap. I. Versio Hebraica veritati respondens.

hac in re, ſummus eſt omnium conſenſus, vnáque ferè omnium cura atque cogitatio in hoc verſatur, vt habeant aliquid, quod ſequantur, vt ſummè ex rebus expetendum; quod fugiant, vt extremum malorum; ita & in hoc ſummus eſt error, miſerrimáque omninò mortalium conditio; q; non modò nullus adhuc extiterit, qui quodnám illud eſſet bonum, apertè definiret, & ante me, ex profeſſo argumentum illud tractaret; verumetiam (quæ eſt humani ingenij, hac præſertim in cauſa cæcitas, & ignorantia) boni ſpecie decepti mortalium plerique omnes in ea ſummis viribus incumbunt; quæ cùm ſunt adepti, non dicam ſe ſpe ſua fruſtratos, ſed pernicioſa etiam conſectatos, animaduertunt: non ſecùs ac ſi quis anguillam ratus, indefeſſo

Verſ. 1. Verba concionatoris filii Dauidis regis in Hieruſalem.

ſtudio

ſtudio colubrum perſequatur; qui comprehenſus, venenato morſu piſcatorem inficiat. Atque hæc ſupremi boni ignoratio, mihi quidem vera, adeóque vna cauſa videtur, omnis in vita confuſionis, totiúſque iſtius ἀνωμαλίας, & perturbationis, quæ iam non in reliquis modò totius orbis nationibus, verumetiam in hac noſtra (proh dolor) Iſraelitica Repub. atque Eccleſia, omnes ferè mortalium omnium cogitationes, ſtudia, conſilia, atque actiones occupauit: quando neceſſe eſt, vbi ſcopus atque finis vltimus malus eſt, ibi ea omnia, quæ ad eum referuntur, mala prauáque eſſe.

Bimembris totius Concionis partitio.

Quod cùm ego & in alijs obſeruauerim, & in me ipſe multùm

diúque ſim expertus: (vt qui non ea modò, quæ vulgò videntur: verumetiam, quæ ipſe pro ſapientia diuinitùs mihi conceſſa, bona aliquãdo iudicaui, ſingulari quadam induſtria atq; attentione perluſtrarim:) arbitratus ſum, officij mei eſſe atque candoris, humanam mentem prauis de ſummo bono opinionibus, primùm liberare; deinde, quænam ſit illa ſumma, vera, ſola, & omni ſtudio perſequenda fœlicitas, commonſtrare. Qua quidem diſquiſitione, cùm nec homine dignius, nec præſtantius, nec vtilius quicquam inueniri poſsit: (quoniam his ignoratis, nec vitæ ratio rectè inſtitui, nec quicquam benè in vita geri poſsit; cognitis autem perſpectíſque, via quædam, ac ratio omnium agẽdorum omittendorúmue ſit commonſtrata) æquum eſt,

cor-

cordatos omnes, attentè studiosèque me de tantis rebus dicentem, audire; auditáq; crebris cogitationibus identidem reuoluere.

Generali confutatione hanc vitam esse totam vanam ac miseram, nec vllam eius partem beatam docet.

Sed antequàm tractationem hanc aggrediar, pauca quædam mihi præmittenda videntur; quibus, quasi via quædam nobis muniatur, ad conuellendam eorum opinionem, qui caput omnis fœlicitatis, in rebus humanis, ac terrenis collocant.

2 Quæ cùm fluxæ, caducæ, crebrísque mutationibus sint obnoxiæ; quid, obsecro, nisi vanissima, atque adeò ipsa vanitate, vt ita dicam, vaniora sunt iudicanda: nec porrò digna, quæ ab homine cor- *2. Vanitas vanitatum dixit Concionator, vanitas vanitatum, omnia vanitas.*

 datiore

datiore expetantur; ne dum vt summorum bonorum loco habeantur?

3. Quid reliquum homini in omni labore suo, quo se defatigat sub sole?

3 Esse autem hæc omnia quàm maximè vana, vel ex ipso homine, rerum omnium conditarum domino ac gubernatore, discamus licet. Qui cùm ex duabus partibus constet, animo scilicet, ac corpore; quorum alter Dei refert similitudinem; alterum ad belluarum naturam quàm proximè accedit: vtrumlibet certè horum recta ratione si examines; vanitati subiacere deprehendes. Nam vel animus ipse (qui vt nobilior & melior est hominis pars, ita etiam meliora pollicetur;) si diuini timoris expers fuerit; quem, obsecro, fructum, quam mercedem assequitur ex tot laboribus, curis, vigilijs, cogitationibus, tot denique angoribus, quibus se dies noctésqu

ctésq; excruciat? Nam licèt optata consequatur; (tametsi non semper consilijs euenta respondent) tamen cùm momentanea sint, ac fragilia, quæ affectat; hoc ipso, quòd perpetua non sunt, iucunda esse non possunt; nec satis digna, quę tanta animi contentione affectentur.

4 Iam si corpus spectes, multo id etiam magis vanitati obnoxium fatebere: si elementorum, ex quibus conflatum est, naturam inspexeris. Primùm enim, cùm ortum suum, atque originem ex terra habeat, in eandem denuò corruptum naturaliter transit; & quod hodie fastu elatum, cœlum ipsum vertice tangere videbatur; postridie in humum conuersum, à posteritate calcatur: quæ deinceps & ipsa consenescens, subsequenti ætati ac generationi locum dat, 4. *Generatio it, generatio venit: at terra in perpetuum stat.*

atque in perpetua quadam viciſſitudine, quod eſt, interit; quod non erat, naſcitur: non aliter quàm arborum frondes, quarum veteribus decidentibus, ſuccreſcunt nouæ, manente interim eadem arbore; quemadmodum & terra ipſa, fixa atque immota manet, quaſi theatrum quoddam, ac proſcenium, in quo humanæ vitæ fabula hæc peragitur. Quæ quidem terra, quemadmodum fundamentum eſt ac fulcrum, omnium ipſi innitentium, ac veluti omnium viuentium mater, quæ gremio ac ſinu ſuo cœlitùs deciduis ſeminibus grauidata, & fœtifico æſtu tepefacta, cuncta procreat, & ex ſeſe fundit: ita etiam in ſe conuerſa bona fide recipit, cùm durationis ſuæ ſpacia confecerint. Et quanquam terra (vtpotè ſicca, & ſolidiſſima) ad humani corporis conſtitutionem,

nem, materiam firmiorem, solidiorémque suppeditat; ex qua sunt ossa, caro, cæteræque compages, & corporis ligamenta: tamen quid hoc ad constantem illam diuturnitatem facit, cùm videamus hęc ipsa tempore corrumpi, computrescere, ac tandem in puluerem redigi?

5 Iam verò calor ille naturalis, qui per omnia membra diffusus, ignea sua vi, atque interna facultate humanum corpus fouet ac vegetat, à sole (mundi, vt ita dicam anima) suppeditatur; qui ne ipse quidem, tametsi omnium conditorum corpus est perfectissimum, à vanitate immunis esse comperietur. Quod vel ex quotidiano eius motu, perpetuóque & continuè iterato cursu arguitur. Oritur enim sol, atque idem occidit: ad locum suum priorem, vnde or-

5. Etiam oritur sol, & occidit sol: & ad locum suum anhelat: vbi (iterum) oritur.

tus eſt, properanter anhelans, vt ibidem poſtridie oriatur, radiiſque ſuis mortales colluſtret. Quod cùm ſine intermiſſione fieri videamus, quid aliud, quàm ortu ſuo & occaſu, nos excitat ad conſiderandam humanæ fragilitatis conditionem, tùm etiam rerum omnium vitam, & mortem, durationem, atque interitum? quòd ſcilicet quemadmodum ipſe quotidie ad ortus ſui initia, veluti à calce ad carceres, vnde egreſſus eſt, regreditur, vt iterum oriatur: ita & homo, & quæ ex terra naſcuntur omnia, aſtrorum, & in his præcipuè ſolis influentijs ſubiecta, abſoluta durationis ſuæ periodo, eodem vndè nata, atque progreſſa ſunt, remigrant; in terram videlicet, omnium viuentium matrem.

6. It ad Meridiem

6 Quid, ꝙ alter ille ſolis motus, quo per circulum obliquum (quem

(quem Zodiacum nominant,) ad meridiem abit, atque ad Septentriones reuertitur; (cùm causa sit mutationis temporum, quorum successione corpora omnia, quæ ex elementis constant, alterantur) vitam quoq; atq; interitum hominibus, & significat, & conciliat? Quid porrò aër; qui vitales atque animales spiritus homini præbet, ac vehementem illam caloris vim, in eo attemperat: nósque spirationis, & respirationis continuo motu, in vita conseruat? An quicquam eo etiam inconstantius, & commutabilius excogitari potest? Circuit enim omnia peragrans ventus, & in orbem reflectit se ventus, siue aër: qui omnia subtilitate sua penetrans, atque implens, terrarum intima perlustrat; in maria, plantas, animantia, sese inserit, atq; commiscet; imo sursum

& circuit ad Septentrionem. circuiens it ventus, & super circuitiones suas redit ventus.

ſum, deorſum, dextrorſum, ſini-
ſtrorſum, ponè, antè, perpetua qui-
dam rotatione actus, per ſuas cir-
cuitiones, & anfractus, incon-
ſtanter eundo ac redeundo, omni
perluſtrat.

7. Omnes torrentes eunt in mare, & mare ipſum non impletur: ad locum ad quem torrentes eunt, eò ipſi redeunt, vt remeent.

7 Poſtremò videamus, quid i
aqua ſit ſtabilitatis, quantum con-
ſtantiæ; quando & hæc ad ele-
mentarem noſtri corporis conſti-
tutionem accedit: vtpotè quæ hu-
midiores corporis partes ſubmi-
niſtrat, ſuóq; humore calorem il-
lum ardentem nutrit, moderatur
& dura mollit: apparet nihilo re-
liquis conſtantior. Nam flumi-
na omnia, ac torrentes in mar
deuoluuntur, ipſum tamen ma-
re non exundat; ſed per terræ po-
ros, ac meatus ſeſe exonerans, &
quaſi ſanguis, per venas fluens, vbi
ſe longo motu, ac terrę beneficio
ſalſugine repurgârit, recens factū
tandem

andem varijs locis erumpit, ac in
ontes exilit, à quibus flumina ac
orrentes rursum dimanant, qui in
dem mare iteratò feruntur: vt ni-
il aliud sit, quàm noua quædam
quarum (vt ita loquar) itio, ac
editio; meatus, ac remeatus.
Quòd si hæc est, aquarum, aëris,
olis, terræ instabilitas, atque mu-
atio: quid de miseris mortalibus
icendum est, qui ex his incon-
tantissimis, ac vanissimis princi-
ijs sunt cõcreti? si ipsæ (inquam)
ausæ constituentes, ac conser-
antes, tales sunt: qualis, obsecro,
rit, qui ab his productus est ho-
no? qualia, quæ in ipso insunt
omine?

Atq; ex hac rerum omnium
arietate, ac constantissima in-
onstantia, fit; vt in rebus natu-
alibus inuestigandis, nullam cer-
am aut solidam scientiam possis
conse-

8. *Omnes deniq; res laborant, non poterit quisquam eloq*

qui: non ſaturatur oculus videndo, & non expletur auris audiendo.

9 Id quod fuit, idipſum (eſt) quod erit: & id quod fit, id ipſum quod fiet: & non eſt quicquam nouum ſub ſole.

conſequi, quæ miſeriam iſtam le
niat: ſed in continuæ huius alte
rationis contemplatione, vſque e
te fruſtrà fatiges, & curis, ac cog
tationibus excrucies; vt nec ocu
lus videndo, nec auris eadem ſæ
piùs audiendo, expleri poſsit.

9 Nam quid tandem eſt, ſu
hoc ſolis globo nouum, quid inu
ſum, aut ante non auditum? Ea
dem eſt rerum ſemel creatarum
ſubſtantia, eædem cauſæ, eadem
quóque effecta: vt ſi quis præſen
tem ætatem, cum præteritis confe
rat, eandem prorſus fabulam, mu
tatis duntaxat perſonis, agi ani
maduertat. Quid enim illud eſt
quod antè nos fuit? Idipſum nem
pè, quod poſt nos futurum eſt. E
quid illud, quod in præſentiarum
fit, quódque factum eſt? Idipſum
ſcilicet quod fiet. Vt ſatis mira
non poſsim hominum ſtultitiam

qu

qui rebus istis, secum afferentibus, non solùm vanitatem & inconstantiam; verumetiam molestias, & anxietates, vsq; eò affixi adhærent; vt cœlestia meditari non possint: cùm tamen hæc, quæ tractant, caduca sint, breuíque peritura, vt ijs mox pro rerum vicissitudine, atque alteratione, alia succrescant, ac succedant; quemadmodum quotidiano vsu atque experientia comperimus.

10 Nam quòd quædam in vitam incidunt, quæ noua nobis esse videntur, quæque vt admirabilia suspicimus; id non aliunde euenit, quàm ex humanæ vitæ breuitate, quæ cùm nuper initium sumpserit, superiorum seculorum res, atque acta (nisi quatenus eorum aliquotam portionem ab hominibus doctis, diligentibus, & posteritatis amantibus, literis mandatam acci-

10. Est ne res, de qua dicatur, Vide hoc: nouum est: Iam fuit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

pi)

pi) penitùs ignorat. Alioqui eni
ſi hominum generi Deus conc
ſiſſet, vt æternum viuerent: id i
ſum, quod iam vt nouum atq; i
ſolens oſtentatur; familiare, co
ſuetum, ac vetuſtum, vti reue
eſt, ita & haberetur.

11. Non eſt memoria priorum, & etiam poſteriorum, quæ erunt: non erit de illis memoria, cum ijs, qui fuerint in poſterum.

11 Nunc autem, vti dixi, pro
ter vitæ noſtrę breue ſpacium, a
de etiam captus, & memoriæ in
becillitatem, ſuperiora ſecula
obliuionem veniunt; nec quida
tè nos vel extiterit, vel dictum v
factum fuerit, memoria tenemu
quemadmodũ nec poſteritati no
træ erit cognitum, quid rerum h
noſtra ætate geratur. Neque eni
aut nos excellentiores ſumus pr
cis noſtris patribus, aut fœlicio
erunt hac noſtra ætate, ventu
ſecula: ſed hac in parte vna o
nium eſt æqua & par conditi
Quæ cùm ita ſint, vt & ipſe hom

& ſol, reliquáq; elementa, ex quibus compoſitus eſt, inſtabilia, fluxa, ac caduca ſint: præpoſtera profectò & vana hominum ſtudia iudicanda ſunt; quæ in his contemplandis atque adipiſcendis conſumuntur.

Generalis partitio totius concionis repetitur.

Sed quoniam de rerum vanitate dictum eſt, conſequens videtur; vt (quod initio pollicitus ſum) varias de ſummo bono mortalium opiniones exponere, atque refutare aggrediar; deinde, quid ipſe de ſummo bono ſentiam, declarem; quáque via ac ratione illud parari poſsit, additis quibuſdam ad finem præceptis, commonſtrem.

Generalis hæc est quatuor præcipuarum opinionum enumeratio, quæ prima concionis parte confutantur.

Ad priorem igitur concionis meę partem quod attinet; refutanda venit illorum opinio, qui summum hominis bonum, in hac duntaxàt vita situm esse existimant, quorum variæ, & multiplices, & sunt, & semper fuerunt sententiæ, quæ etsi numero ferè sunt infinitæ, quòd sibi quísque pro suo ingenio, summum bonum fingit; ad quatuor tamen præcipua capita commodè reduci posse videntur. Alij enim in scientia, rerúmq; omnium humanarum curiosa peruestigatione; Alij in sola voluptate: aut in horum vtrorúmque simul permistione; Alij in honoribus, seu humana potentia; Alij denique in diuitijs fœlicitatem collocandam puta-

putauerunt. Quarum quidem opinionum alia alijs aliquanto videtur plausibilior; nulla tamen vera est; aut quæ vanitatis non manifestè teneatur.

12 Nam scientia, rerúmque cognitio, quæ absque controuersia cordatis hominibus harum omnium videri debet dignissima, propterea quòd mentem, diuinissimam hominis partem excolit, omninóque naturæ nostræ aptissima est veri perspicientia; tamen qualis ea sit, age consideremus. Nihil autem afferam, quod non summam fidem mereatur; vel quia ipse periculum omnium in me fecerim; vel quia eam personam sustinui, eíque præfui, atq; etiamnùm præsum Reipublicę; quę si quid in rebus esset certi ac solidi, suppeditatura fuisse videatur. Fui enim non vnus aliquis è multis, qui propter

12. Ego concionator fui Rex Israel in Hierusalem.

paupertatem, rerum contemplationi vacare, aut eruditos magistros consulere non possem: sed (quo in rebus humanis nihil est augustius) Regia dignitate ornatus, eíque populo præfectus, quem ex vniuerso mortalium genere Deus sibi peculiarem delegit; suóque nomini consecratum esse voluit. In ea deníque ciuitate sceptra gessi, quę vt est totius orientis vrbs celeberrima, ita & schola est veræ sapientiæ; Academia cœlestis philosophiæ, in qua prophetarum chorus, de rebus magnis, atque abditis consueuit differere.

12 His præsidijs munitus, atque instructus, officij mei esse duxi, summa cura, ac diligentia, omnia inuestigare atque cognoscere, quæ sub hoc lunæ globo geruntur; ratus me summam fœlicitatem consequuturum; si rerum omnium causas

12. Et dedi cor meum ad quærēdum, & ad vestigandum in sapientia, super omnia, quæ

causas, initia, progressus, hominúmque consilia, conatus, actiones cognouissem.

facta sunt sub cœlo.

13 Sed, proh dolor! animaduerti tandem, istud meum studium, meram animi carnificinam fuisse; ac veluti pistrinum quoddam: in quod mihi homines à Deo detrusi videntur: vt in eo, propter neglectum veræ cœlestísque sapientiæ studium pro merito exerceantur; & præposteræ suæ curiositatis pœnas luant.

13. *Hanc occupationem malam dedit Deus filiis hominum, vt occupent se in ea.*

14 Nam postquam singulari illo diuinitùs mihi concesso ingenij acumine, indefatigato studio, & assiduo labore, atq; industria, tantam rerum omnium cognitionem sum consequutus, quantam humanus animus capere vix posse videbatur: tantum abest, vt (quod mihi proposueram) hinc euaderem fœlicior; vt præter meram spiritus

14. *Vidi omnia opera, quæ facta sunt sub sole, & ecce omnia vanitas, & fractio spiritus.*

ritus afflictionem, angorem, ac cruciatum nihil reportârim, nisi illud fortè, quod fideliter alios monere possim; vt exemplo meo caueant, ne in similem calamitatem, imprudentes sese præcipitent. Siquidem re verà vana sunt: nec ad animi tranquillitatem, solidámq; fœlicitatem vel tantillum faciunt; imò contrà, vti dixi, animum cruciant.

15. Peruersum non potest dirigi, & defectus non potest numerari.

15 Vel quia ad absolutam rerum cognitionem, perueniri non potest, quòd miris difficultatibus pleráque implicentur; & res ipsæ numero alioqui sint infinitæ; vel quia in vita, atque actionibus humanis, tàm multa sunt praua & contorta, vt ratione nulla emendari, aut explicari possint.

16. Loquutus sum ego cum corde meo, dicendo:

16 Quod tametsi ita esse cognoscerem, non tamen ob id à suscepto inquirendi studio desistendum

putaui.

putaui. Cogitabam enim cum animo meo, me ſapientiæ nomine, inter mortales, magnum, eximiúmq; habendum, ideóq; maiorem ſapientiam comparaturum, quàm vllum eorum, qui Hieroſolymis antè me fuerunt, imò ne fuiſſe quidem vllum ſcientiæ genus, quod quidem cordato homini expetendum videretur, quod ego non modò non pertractaſſem, verùmetiam exactiſſimè cognitum exploratúmq; habuiſſem.

17 Etenim ad ſolidæ iſtius fœlicitatis indagationem, vlteriùs progredi auſus fueram. Et quia eam nondum eram adeptus, eo ſapientiæ genere, quo iam excellebam; experiri volui, poſſémne eam commodiùs & penitiùs per ſtultitiæ indagationem conſequi. Contrarij ſiquidẽ natura qualis ſit; contrarijs magis declaratur.

Ecce ego magnus factus ſum & addidi ſapientiam ſupra omnes, qui fuerunt ante me ſuper Hieruſalem: & cor meum vidit multum ſapientiæ, & ſcientiæ.

17. Namque dederam cor meum ad ſciendam ſapientiam, & ſcientiam, inſanias & ſtultitiam: tamen cog-

noui quod hoc etiam esset afflictio spiritus.

Adicci igitur (retento ſapientiæ ſtudio) auimum meum ad ſtultitiam; & inſaniæ penetralia ſum ingreſſus; méque in contemplationem omnium humanarum actionum, atque occupationum etiam ſtultiſsimarum penitùs demiſi; nè quid omninò me lateret eorũ, quæ ſub ſole inter miſeros & inſanos mortales fiunt; ſi fortè eam, quam venabar fœlicitatem, alicundè poſſem eruere. Sed ecce vt alibi, ita & hîc, pro theſauro carbones. Tãtum enim inueni moleſtiarum, tantum vexationis, tantum deníque cruciatus in hac permixta ſapientiæ & ſtultitiæ occupatione; vt inde me quàm citiſſimè extricatum cuperem.

18. *Quoniam in multa ſapientia, multitudo*

18 Neq; enim poteſt quiſquam tantam rerum omnium confuſionem, & ἀταξίαν, animo compræhendere; & non vehementiſſimo

ſimul

simul dolore percelli. Quis enim sapiens non commoueatur, atq; indignetur; cùm videat iustitiam, æquitatem, probitatem, fidem, integritatem, constantiam, reliquásq; huius generis virtutes pro nihilo inter homines duci; ac pro his, iniustitiam, improbitatem, perfidiam, reliquáq; huiusmodi vitia florere; totúmq; adeò mundum occupare? cùm videat (inquam) præpostero hominum iudicio ea probari, magníque fieri, quæ non modò vana, verùmetiam noxia ac perniciosa sunt; ea autem exosa & contempta iacere, quæ vt firma bona, ac salutaria vnicè fuerant expetenda? Vt nemo in tanta desipientium, furentiúmque multitudine, absque summo dolore & indignatione solus possit sapere; nec meliora cùm videat, æquo animo vulgi delirijs sese accommodare? Quare vt paucis

(est) indignationis & qui addit scientiam, addit dolorem.

 dicam

dicam omnia. In multa sapienti multa est indignatio; & qui scien tiam, rerúmq; cognitionem acqui rit; dolorem nouúmque anim cruciatum acquirit.

CAP. II. V. I.

Secundum Membrum generalis enum rationis, voluptatis nempè studi confutatur.

1. *Dixi ego in corde meo, Agedum quæso, probato te in lætitia, & vide bonum: & ecce quoq; hoc vanitas.*



Actenùs summa f de recensui, quan tum boni ac fœlic tatis, in illo human sapientiæ studio i uenerim; quod tamen (vti in tio dictum est) sine controuers inter omnes mortalium occupa tiones, facilè primas tenet. Nunc ordo postulat, vt de volu ptate dicamus; in qua, ipse anim tranquillitatem, atq; id, quod qu rimu

rimus bonum, poſitum eſse ali-
quando ſum arbitratus, vt & hîc
meo exemplo diſcatur, quàm nihil
ſolidæ ſpei, in hac illecebra ſit col-
locandũ. Cùm igitur in laborioſiſ-
ſimo illo ſapientiæ ſtudio, ſpe mea,
atque expectatione fruſtratus; vi-
derem quàm plurimos, voluptati-
bus indulgentes, læto ſemper atque
alacri vultu conſpici: decreui a-
pud me, relictis omninò tetricis il-
lis, ac moleſtis ſcientiæ adipiſcen-
dæ curis, ac laboribus, me totum
voluptatibus conſecrare: ſi fortè
in illis rationem tranquillè, fœlici-
térque viuendi inuenirem. Itaque
animo meo inquiebam: Quid eſt,
quòd te diutiùs excrucies? Mitte
curas, quæ intempeſtiuam, cùm
corpori, tùm animæ canitiem affe-
runt; &, exporrecta fronte, volup-
tatibus indulgens, gaudeto: ac præ-
ſentibus bonis fruere. At cùm iam
ille-

illecebras illas degustare cępi, blan-
dísq; illis dominis memet tradidi;
tametsi primùm, dulcissimi mellis
instar leuiter in animum influe-
bant; cúmque iucunda quadam ti-
tillatione aliquandiu permulce-
bant; postquam tamen familiari-
ùs, penitiúsque eas cœpi cognosce-
re, plus fellis, quàm mellis habere
depręhendi; & (vt nihil dicam gra-
uius) nihil nisi meram vanitatem
esse proprio experimento didici.

2. De risu dixi, Insanis: & de lætitia, Quid hæc agit?

2 Itáque, cùm me tàm puerili-
ter, à voluptatibus deceptum vide-
rem; omninò instituti pertæsus,
cum risu cœpi expostulare, déque
eo quæri; quasi de re animata, quæ
me, data opera fefellisset. Quid in-
quam insanis? Quid sic inesca
mortales? Quid philtri habes,
quod hominibus tantopere arri-
deas? Eodémque modo letitiæ in-
fensus, quòd Adami filios adeò de-
mentaret

nentaret, vt, vel ipſo Deo relicto,
ni lætitiæ incumbant, hanc quæ-
nt, hanc ament, huic deniq; vni,
tos ſeipſos conſecrent; Quid iſta
nquam) agis? Quæ (malum) iſta
a eſt eſca, quę tanta vis faſcini, vt
no hominũ iudicio infecto, cor-
ptóque, eos tuos facias, ad te ra-
as, tibi mancipes? Quid multis?
m in ipſas voluptates ita debac-
abar, adeóq; diſplicebãt, vt quod
ipſis erat ſuauiſsimum, mihi a-
rbiſsimum videretur.

*cundum membrum generalis partitio-
nis hæc eſt pars altera: qua ſapientiæ
ſtudium cum voluptatibus copulatur.*

Interea verò inter ſaxum & 3. *Inueſtigaui cum corde meo protrahere in vinum carnem meam*
crum (quod aiunt) hærens, con-
ij penitùs iam inops eram. Nam
voluptas, quam repudiata ſapi-
tia ſequutus fueram, iam mihi
rdebat; & ad ſapientiæ ſtudium,
in

(cor meum nihilominùs ducens in sapientia) & apprehendere stultitiam, quoúsque viderem, quodnam hoc sit bonum filijs hominum, qui operantur sub cœlo numero dierum vita sua.

in quo plus tædij, quàm fęlicitat
inesse, antè depræhenderam, r
uerti animus non erat. Itaque di
multúmque perplexus hæsitan
sic mecum tandem cogitaui; Qu
si mediam quandam viam ingre
sus, cum voluptate sapientiam c
iungam: vt quæ per se singula in
perfecta sunt, ea combinata iun
táque fœlicitatem absoluant? Pl
cuit consilium. Cuticulam erg
curare institui, corpus vino, ac d
licijs tradere, genio securus indu
gere; ita tamen, vt stultitiam l
tiùs euagari non paterer, sed qu
fręno iniecto intra limites eam r
tinerem, mente nimirũ sapientia
tractante. Quid multa? Proba
volui; posséme simul & sapien
esse, & insipiens; prudens, & stu
tus; religiosus, & voluptuosu
tantisper dum viderẽ, an hac etia
in parte abditum lateret bonu
illu

llud, quod tanto ſtudio, per totam
itam, miſeri mortales perſequen-
um ſibi proponunt.

Quare, nihil eorum præter-
niſi, quæ honeſta voluptate ani-
num ſapientis poſsent oblectare.
dque adeò accuratè feci, vt nec
iſus, nec guſtus, nec odoratus, nec
actus (quibus voluptatum genus
mne percipi ſolet,) ad ſummam
electationem quicquam deſide-
aret. Primùm enim (quod non
antùm ad amplitudinem, digni-
atémque, verùmetiam ad oculos
aſcendos confert plurimùm) ma-
nificentiſsimas ædes, laxiſsimáq;
alatia mihi ædificaui, quæ omni,
quidem ſplendidiſsimo ſupel-
ectilis atque ornamentorum ge-
ere eſsent inſtructiſsima. Deinde
ites conſeui, quæ præter aſpectus
mœnitatem, vina quotannis fun-
erẽt generoſiſsima ſuauiſsimáq;;
quibus

4. Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, plantaui mihi vineas.

quibus cùm gustui meo ac palato
satisfacerẽ, tùm animum cum ami-
cis & domesticis meis suauiter per-
potando sorbillandóq; recrearem.

5. Feci mihi hortos, & paradisos, & plantaui in illis arbores, omnium fructuum.

5 His adieci hortos incredibili
quadam aëris puritate, florum va-
rietate, & fragrantia artificiosa, de-
níque, ευθημοσύνη, & concinnita-
te, ad miraculum vsque speciosos:
ad hæc pomaria, omni fructuosis-
simarum selectissimarúmque ar-
borum genere consita, & spaciosos
paradisos, quę & dulces vmbras, &
ferarum cicurûm oblectament
suppeditarent.

6. Feci mihi piscinas aquarum, ad irrigandum ex eis syluam germinantem arbores.

6 Néue quid ad istorum omni-
um consummatam perfectionem
conseruationémq; deesset; peren-
nes fontes limpidissimæ aquæ du-
xi; quibus horti, pomaria, para-
disi, nemora arboribus consita, op-
portunè irrigarentur. Viuaria de-
níque ac piscinas feci; in quibus

omn

omne piſcium genus, qui vel vſui, vel oblectamento eſſe poſſent; alerentur.

7 Porrò, quia hæc omnia, abſque multorum hominum opera, neque fieri neque excoli omninò poterant; emi ſeruorum atque ancillarum greges, ex quibus vernæ quamplurimi domi naſcebantur. Quibus vt cultus, victúſque abundè ſuppeteret, magnam mihi armentorum ac pecorum tàm maiorum, quàm minorum vim comparaui; ex quibus ad alendam numeroſiſsimam illam familiam, quotidie mactabantur boues altiles decem, armentales viginti, balantes centum: præter ceruos, capreas, bubalos, & viuaria. Vt taceam quòd in regia mea, quotidie abſumebantur ſimilæ cori triginta, ac farinæ ſexaginta. Sed neque ob id aut frumenti copia, aut armentorum pecorúmque numerus eſt imminutus: cùm quotidie ita noua ſuccreſcerent,

7. Comparaui ſeruos & ancillas & filij domus fuerunt mihi, et iam poſſeſsio boum & ouium multa fuit mihi, præ omnibus qui fuerunt ante me in Hieruſalem.

rent, ac nascerentur; vt plus peculij ego habuerim, quàm quisquam eorum, qui ante me regnârunt Hierosolymæ.

8. Coaceruaui mihi etiam argentum & aurum, & thesauros regum & prouinciarum. Comparaui mihi cantores, & cantatrices: denique delicias filiorum hominum (siddah & siddot) id est, captiuam, & captiu

8 Habebam prætereaquadraginta præsepiorum millia equorum iugalium; & duodecim millia equitum; præter manuarios artifices, operarios, & architectos, qui ædes curabant, ac resarciebant. Quam ad rem cùm multo auro atque argento mihi opus esset, ex regibus & prouincijs meo imperio subiectis ingentem mihi thesaurum coaceruaui. Nec id mihi factu erat difficile, propterea quòd regni mei pomeria latissimè (vti nostis) patent. Nam quot quot nationes à flumine terræ Palestinæ vsque ad terminos AEgypti habitant, vectigales subditásque semper habui. Ex his omnibus nationibus selegi mihi egregios cantores, musicos, tibicines, fidicines, & fœminas cantatrices, quæ suaui vocum concen-

concentu, & instrumentorum harmonia, ac modulatione; sollicitudine, ac curis propulsatis, aures mihi demulcerent; ingeniúmque inter conuiuandũ reficerent; vesperi somnum capere cupienti conciliarent, manè à somno & sopore me excitarent. Ac nè voluptas mea omnibus numeris nõ absoluta videri posset, si eius, quæ tactu percepta, iucunda titillatione corpus afficit, expers forẽ; si qua alibi terrarum eximię pulchritudinis fœmina, aut confecto prælio raræ formæ virgo inueniebatur, eam aut matrimonio mihi iungebam, aut concubinæ loco habebam. Adeò vt reginarum numerus ad septingentas; pellicum autem (dictu sanè turpe) ad trecentas excreuerit. Putabam enim in his summas hominum delicias esse collocatas. *uas. Alij vasa.*

9 Néque verò hæc tam prolixè exponerem (sunt enim huiusmodi, quæ quis erubescat potiùs, quàm vt *9. Et magnus euasi, & au-*

ctus ſum præ omnibus, qui fuerunt ante me in Hieruſalem. Interim ſapientia adſtabat mihi.

de ijs glorietur:) ſed quando ſemel decretum eſt, vos exemplo meo cautiores reddere; putaui voluptates meas vel occultiſsimas etiam, particulatiùs vobis eſse aperiendas; vt cognoſcatis, mihi ad ſummam fœlicitatis nihil defuturum fuiſse, ſiquidem ea in voluptate eſset poſita. Superaui enim longè, hiſce omnibus, quotquot antè me Reges in Hieruſalem fuerunt, & (quod dictu eſt admirabile) res natura alioqui diſiunctiſſimas, voluptatem cum ſapientia (vt potui) coniunxi, vt ſi fortè de ſede ſua animum meum illa mouiſset, hæc in ſtatu officióque ſuo retineret.

10. *Itaque omnia quæ expetiuerunt oculi mei non remoui ab eis, nec prohibui. Cor meum læ-*

10 Voluptatibus igitur omnibus, ijſdémque exquiſitiſsimis, quibus vel externi ſenſus, vel interiùs animus ipſe moueretur, vt nemo alius indulſi. Denique nihil inexpertum aut intactum reliqui; quo ex labore meo (quem in hiſce omnibus parandis immenſum ſuſtinui) lætitiam re-

portarem

portarem; atque adeò hæc vna tanquam præmium fuit, quod omni hac mea opera, atque industria, non sine maximis molestijs ac laboribus tandem sum consequutus.

tabatur in omni labore meo.

11 At postquàm mentis oculis intueri cœpi magnifica illa ædificia, hortos, pomaria, paradisos, cęteráq;, quæ pro animi mei libidine, extruenda curarâm: vicissímq; recta ratione expendi, quibus laboribus, quo conatu, quo molimine, ea ipsa perfecissem; non fœlicitatem in his, mediusfidiùs, quam sperabam, sed meram vanitatem; non animi tranquillitatem, quam tanto studio affectabam; sed molestiam, spiritúsque fractionem, &c. tormentum esse depræhendi, nec quicquã esse in vniuersa hac mundi machina eximium aut excellens. Nam tametsi venusta erant, atq; animo adlubescebant, tamen, cùm & immensis laboribus pararentur; nec minor molestia ad eadem conser-

11. Tandem respexi ego in omnia facta mea, quæ fecerant manus meæ, & laborem quo laboraui ad perficiendum, & ecce omnia vanitas & fractio spiritus, nulláque præcipua vtilitas sub sole.

uanda requireretur; fluxa deniq[ue] ac breui momento essent peritura; iudicabam tantillum fructum, voluptatem nempè, & eam quidem non synceram, tantis molestijs nulla ex parte respondere; nedum id, quod in his affectabam, bonum ac fœlicitatem.

Prudentissimè ostendit Salomon, non solùm rationibus, sed proprijs etiam experimentis, in hac sapientiæ, atque stultitiæ collatione, quis vsus atque vtilitas, etiam eorum rerum, quæ fœlicitatem præbere nequeunt, possit inueniri.

12. Nihilominus respexi ego ad contemplandum sapientiam & insanias, & stoliditatem: (quid enim

12 Quid igitur dicat aliquis? Cùm nec in voluptate, hoc est, stultitia, nec in sapientia, scientiáque, nec in his permixtis simúlque iunctis, (vti prædicas) inest beatitudo; nihilne inter sapientiam & vesaniam interesse putas? Equidem, quemadmodum iam sæpiùs dixi, & ex tota hac mea narratione facile est videre; cognoscen-

d

dæ ſapientiæ totum me tradidi: itidémque quid valeret ſtultitia ac veſania, ſumma cura perquiſiui; & ita perquiſiui, vt in hoc genere, mortalium nemo excellere me potuerit. (Nam, quis eſt, quantúmuis diues & opulentus, qui in huiuſmodi factis & operibus me, Regem potentiſsimum, & diuinitùs ingenij dotibus ornatiſsimum, non dicam anteuertat, ſed lõgo etiam interuallo ſequatur?)

eſt homo, qui veniat poſt Regem in eo quod iam fecerunt?)

13 Et facta ſapientiæ & veſaniæ accurata inter ſe collatione, animaduerti, tanto ſapientiam ſtultitia eſſe præſtantiorem; quanto lux tenebris antecellit. Nam, quemadmodũ ſol, totam hanc mundi machinam, iubare ſuo ac radijs colluſtrat, atque inferiora iſta vegetat, pulchritudinémq; eis affert admirabilem; ita & ſapientia homines verè μικροκόσμους, diuiniſsima parte, mente atque animo illuminat, eíſque ſplendorem, dignitatem, atque ornamentum addit in-

13. *Et vidi ego quòd eſt vtilior ſapientia præ ſtultitia: ſicut excellentia lucis ad tenebras.*

 credibile.

credibile. Contrà verò, quemadmodum caligine, ac tenebris omnia occupantibus, horror quidam rerúmque omnium squalor oboritur; ita & vesania ac stultitia, cùm in animo insedit, densissimis suis tenebris, mentem torpidam squalentémque facit.

14. *Sapientis oculi in capite ipsius: at stolidus in tenebris it: etiam, si cognoui ego quòd euentus idem eueniet omnibus illis.*

14 Considerate nunc quæso attentè, stulto intelligens quantùm intersit; quámque δὶς διὰ πασῶν, alter alterum superet; ac tùm re verà iudicabitis virum sapientem, oculos habere in capite, tanquā in summa arce collocatos, non illos corporis modò, sed multo etiam magis præstantissimæ mentis; quibus tanquam speculatoribus ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσων quò sit eundum, quid sequendum, quid fugiendum videt; quid & quandò dicendum, tacendū, faciendúmue contemplatur, & considerat: denique vniuersum vitæ cursum prospiciens, prudentissimè moderatur. Cùm contrà appareat, stultum

tum,tametſi corporeis oculis ſit prædi tus,tamẽ ſtultitia ſua excœcatum; voluptatúmque ſuarum caligine obtenebratum ; neſcire quò eat; quid ſequatur; quid fugiat ; quid loquatur; quid agat; quid iudicet; ſed ſapientiæ lumine deſtitutus ſæpiùs impingit; quóq; eum impetus animi rapit, præceps ruit, vt hinc obſcurum eſse non poſsit, quantum ſtultitiæ minus,quàm ſapientiæ tribuam,quæ etſi tam honorificis elogijs à me ornatur; nolim tamen ob id quiſquam exiſtimet, in ea fœlicitatis ſummam eſse poſitam. Nam, ſi id non efficit ſapientia, vt humanos caſus declinemus,immortalitatem conſequamur, labore noſtro quæſita , hæredibus qualibus velimus relinquamus; quid eſt, cur eam tanquam ſummum bonum,tanto ſtudio perſequendam nobis putemus? Atque nihil (vt ita dicam) horum homini præſtare, quotidiana experientia plus ſatis docet.

Primùm enim paſsim videmus, viros alioqui ſapientiſsimos, prudentiſſimóſque, iiſdem caſibus, ac periculis eſſe expoſitos, quibus inſipientes ac ſtolidi ſunt obnoxij. Nam, tametſi duros caſus fortitèr ferendo, ſapiens eos ſibi leuiores facit; tamen, neque exilium, neque paupertatem, neque cœcitatem, neque orbitatem, neque captiuitatem, neque ſeruitutem, neque morbos, neq; id genus innumeras alias calamitates, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, vlla ſapientiæ vi declinare, aut euitare poteſt.

15. Propterea dixi ego in corde meo: Si vt euenit ſtolido, etiam eueniet mihi, ad quid igitur ſapui ego tunc am-

15 Atque hoc illud eſt, quod mirum in modum torquebat animum meum; atque intra meipſum impatientiſsimè hoc ferens, veluti fremebam; in corde meo dicens; Si idem euentus ſtolido, & mihi ſapienti impendit; ſi ambo in eodem periculo verſamur, ſi vtriuſque eadem eſt ſors, eadem conditio, neque hæc ſapientia mea me poteſt in æditiori aliquo loco

loco conſtituere, vbi tutus ſim, atque extra omnem rerum humanarum aleam: quorsùm ego, tanto plus reliquis ſapio? Quorſum tàm multa tuli? Quorſum me ſtudijs tantopere maceraui? Subductis igitur ſapientiæ tùm commodis, tùm incommodis, & hanc quoque rebus vanis accenſendam iudicaui.

plius? Ideo dixi in corde meo, quòd etiam hoc eſt vanitas.

16 Iam verò alterum illud, ad quod homines ſapientia ſua mundana aſpirãt, nominis nempè ac gloriæ immortalitatem; ne eam quidem, ſapienti magis quàm ſtulto, parari animaduertimus. Vtriſq; enim è medio ſublatis, iuxta iſtius atque illius memoria, apud poſteros in obliuionem venit. Siquidem mors vltima rerum humanarum linea eſt; ac mortis indiuidua comes obliuio. Nam, tametſi de ſapientibus hominibus, aliquot fortaſſe ſęcula mortales loquantur; tamen, vel multa etiam annorum millia, vix momenti rationem

16. Deinde, non eſt memoria ſapientis cũ ſtulto in ſæculum: cùm etiam dies, qui venturi ſunt, omnes obliuioni tradẽtur: & ſimili modo morietur ſapiens cum ſtulto.

ad

ad æternitatem illã habent, ad quam nullius vnquam pertingit memoria: sed nec de vllo sermo adeò perennis fuit; vt non obruatur hominum interitu, & obliuione posteritatis extinguatur.

17. Itaque odi vitam quia molesta super me opera quæ fiunt sub sole: nam omnia vanitas & afflictio spiritus.

17 Quare, tantum abest, vt optanda mihi hæc vita videatur; vt ea omnia, quæ sub sole fiunt, quæq; ab hominibus, quãtùmuis sapientibus, gerũtur, fastidire iam pridẽ, atq; odisse cœperim; vt quæ non modò vana, fluxa, ac fragilia sint; verumetiam incredibiles molestias atq; vexationes afferãt.

18. Praeterea odi ego omnem laborem meum, quo ego laboro sub sole, quem relinquam homini,

18 Nunc ad tertiam partem veniamus, in qua negabamus sapientia, humanáque prouidentia, effici posse, vt bona & facultates nostras, ijs relinqueremus, quibus cupimus: puta liberis nostris, aut alijs frugi hæredibus; qui eas prudenter sapientérque dispensent. In quo, quis non illud primùm miserum esse iudicet, quæ labore tuo inueneris, ea omninò successori-

ceſſoribus eſſe relinquenda, prodendáque; qui tanquam fuci, mellificarum apum labores conſumant, ac deuorent? Equidem neſcio alios; me certè, quoties iſta mihi in mentem veniunt, laborum meorum piget, ac pœnitet. Et, ſi dicendum eſt, quis eſt omninò vel ſapiẽtiſsimus, quem non iſta, & in laborando ſegniorem, cunctantiorem, triſtiorémque faciant?

19 Sed hæc, tametſi iniqua, ferri tamen aliquo modo poſsent; ſi poſſeſsiones ſuas moriturus ſapiens, ſapienti prudentiq; poſſet tradere. Nunc verò cùm neſciat, quis omninò in hęreditatẽ ſuam ſit venturus; ſapiénsne, an ſtolidus; frugalis, an nepos; probus, an improbus; amicus, an inimicus; imò cùm quotidie experientia nos doceat, quæ à ſedulis ac prudentibus hominibus, longo tempore, magno ſudore parta ſunt; ea ab hæredibus plerúmque breui ſpatio, per luxuriam profundi, atque conſumi: quis

qui erit poſt me.

19. Deinde, quis noſcit, ſapiens erit an ſtolidus? Dominabitur tamen in omnem laborem meum, quo laboraui, & quo ſapienter me geſsi ſub ſole: etiam hoc vanitas.

quis non hoc etiam ſapientiæ ſtu-
dium ſummæ vanitatis damnet, quæ
hiſce malis nequit remediũ afferre?

20. *Tandem redij ego ad ſaciendum deſperare cor meum, ſupra omni laboremeo, quo laboraui, & quo ſapienter me geſsi ſub ſole.*

20 Atq; vtinam vanitas eſſet mo-
dò, ac non ſimul etiam ſapientis ani-
mum torqueret, cruciaret, confice-
ret. Quod equidem in me ſæpenu-
mero ſum expertus; ita vt, in ſum-
mam penè deſperationem incide-
rim, quoties mecum cogitabam, me
facultates meas, ædificia, ac theſau-
ros, tanto labore, ſolertia, ac ſapien-
tia congeſtos, perditiſsimo fortaſsis
homini relicturum. Nam, & Robo-
amo meo, & ſi neſcio quid præſagit
animus, tamen nolim quicquam ſini-
ſtri augurari: neq; eum adhuc tene-
rum in ſuſpicionem malæ guberna-
tionis trahere.

21. *Quoniam eſt homo, cuius labor in ſapien-*

21 Sunt tamen alij permulti, (vt
antè dixi,) quorum labor abſque ali-
cuius iniuria, aut damno, in acqui-
rẽdis bonis, iuſtè, ſapienter, caſtè, in-
tegréque verſatus eſt; qui morien-
tes,

tes, suas opes & copias alteri tradere, necesse habent, qui non solùm insipiens sit, ignarus, & iniustus, verùmetiam (quod multo omnium est indignissimum) ingratus: qui, cùm nihil laboris in illis quærendis impenderit; omnia pro libidine liguriat, atque profundat. Quod si quis summam vanitatem, molestissimúmque spiritus tormentum esse negat; solem meridie lucere negat: atq; adeò hoc ipso ostendit, quàm longè adhuc absit à veræ sapientiæ cognitione.

tia, & in scientia, & rectitudine, & homini qui non laborauit in eo, dabit illi portionem suam: etiam hoc vanitas, & malum magnum.

22 Quid igitur (inquiat aliquis) vtilitatis ac fructus percipiet homo, ex omni labore, atq; molestia, quam sub sole tolerat. Néq; enim ita omninò videri potest irrita omnis diligentia; vt non industria, aliquid saltem, ad vitam tolerabiliùs degendam, conferat. Aut in vniuersum, laborem omnem in hac vita reijcis, ac damnas.

22. Igitur quid est homini in omni labore suo, & afflictione cordis sui, quo ipse laborat sub sole?

23 Equidem nolim quisquam me existi-

23. Omnes

namque dies eius dolores sunt, & indignatio occupationes suæ, etiam in nocte non quiescit cor eius: profectò hoc vanitas.

existimet, mortalium industriam su-
gillare, humanásque occupationes
omnes è medio sublatas velle. Sunt
enim hæ omnes exercitationes no-
stræ, nequaquam Deo ingratæ; (si
cum Dei metu adsit mediocritas) &
potest earum vsus esse legitimus, &
suauis. Sed illud damno, quòd im-
modicis nostris laboribus, curis, ac
cogitationibus, ipsi nobis vitam in-
iucundam, atque acerbam facimus;
vt non sat habeamus, diurnis nos ex-
haurire sudoribus; nisi etiam intem-
pesta nocte, cùm omnia silent, ac
quieti indulgent, anxium cor no-
strum, vigilijs ac molestijs antelucа-
nis, miserandum in modum crucie-
tur. Quo quid dici; imò quid fingi
potest vanius?

24. Non est ergo bonum in homine, nisi quòd comedat & bi-

24 Quisquis igitur ex laboribus
iustum velit capere premium, id pri-
mùm studeat; quemadmodum ex a-
nimo anxietates, curásque nimias, ac
præposteras solicitudines euellat.

Deinde

Deinde, vt bonis ac diuitijs, moderato labore partis, læto ac hilari corde vtatur, fruatur, edat, bibat, amicos impertiat; neque de rebus futuris, aut venturo hærede anxiè cogitando, genium suum defraudet; sed quod succi laborando corpori detraxit; id ipsum interno animi gaudio, atque lætitia penset. Sic neque occupationes erunt infrugiferæ; neque labores insuaues. In quo quidem, tametsi nō insunt omnia, tamen in hac vita tantum est, vt nullis delicijs, nullis opibus, nullo humano consilio, ratione, sapientia præstari posſit; quinimò vnius Dei Opt. Max. omnium bonorum largitoris hoc est; & quidem singulare beneficium; vt homines tranquillo, pacato, læto, atque hilari animo, in huius vitę ærumnis ac molestijs versentur; ac tandem cursu peracto, haud inuiti, lucem hanc posſessionésque relinquant.

bat & faciat videre animæ suæ bonum in labore suo: etiam hoc vidi ego, quòd de manu Dei sit.

25 Neque hæc ignota loquor; sed ipse

25. Nam

quis comedet, & quis festinabit præter me?

ipſe (vt non ſemel dixi) proprijs ex-
perimentis edoctus, veriſsima eſſe
comperi. Nam quis eſt, qui come-
dendo, bibendo, conuiuando, magis
voluptatibus indulſerit, quàm ego:
aut qui in hoc deliciarum ſtudio, me
poſsit feſtinando anteuertere? Certè
ſi aut humana ſapientia, aut externa
voluptates, animi fœlicitatem ac trá-
quillitatem poſſent conferre; mihi
ſanè contuliſſent, qui in hiſce morta-
les omnes longo interuallo poſt me
reliqui. Cùm autem, præter meram
vanitatem, & animi cruciatus, in his
nihil inuenerim: ab vno Deo, (vt
dixi) fœlicitatẽ, quam perquirimus
petendam cenſeo.

26. Certè homini, qui bonus eſt in conſpectu Dei, dat ſapientiam, & ſcientiam,

26 Qui hominibus, qui ſincero
puro, candido, rectóque animo in
eius conſpectu verſantur, largiri ſo-
let veram ſapientiam, ſolidam & fir-
mam ſcientiam; adde etiam inter-
num gaudium, & εὐθυμίαν; quibus
veluti condimentis quibuſdam, a-
rumnoſ

rumnoſas & acerbas huius vitæ occupationes leniant. Peccatores autem, impios, ac ſceleratos, in peccati pœnam, tradit crudeliſsimis tortoribus; deſiderijs nempè, & cupiditatibus, magno cum labore coaceruandi, accumulandi, atq; augendi diuitias, & ingentes theſauros; quos poſteà Deus ipſe poſsidendos, ac diſpenſandos diſtribuit ijs, qui diuino timore (veræ ſapientiæ initio) præditi, vni Deo fidunt, ab ipſo ſolo pendent, in eius beneuolentia proram & puppim fœlicitatis ſuæ collocant, ſanctè denique, iuſtè, ac piè viuunt. Reliquę (mihi credite) viæ, quas ſibi homines ad animi tranquillitatem conſequendam excogitant; mera vanitas ſunt, & ſpiritus afflictio.

& lætitiam: at peccanti, dat occupationem addendi, & aceruandi, addandum bono coram Deo. Igitur hoc vanitas, & afflictio ſpiritus.

CAP. III.

Alloquitur eos, qui summum bonum in voluptate simul cum sapientiæ studio reponunt. Et vti docuit solidum honestæ voluptatis vsum: sic propositis aliquot humanarum actionum alternationibus & mutationibus, docet: præstantissimum esse sapientiæ fructum, non vanam speculationem: sed diuinæ prouidentiæ cognitionem: qua imbuti, agendi tempestiuitates noscamus: & rerum humanarum vicissitudines æquo animo feramus.

1. *Omnium est opportunitas, & tempus omni rei sub cœlo.*



Sse autem sapienti, eique, qui ευθυμίας bonum velit consequi, atque assequutum conseruare, ita sua studia, actionésque ac labores moderari; vt nec nimiùm se ijs fatiget, ac maceret; nec nimiùm contrà voluptatibus indulgeat; sed in vtrísque vicissitudinem, mediocritatémque seruet; cùm ratio humana, tùm ipsa rerum natura, temporúmque vicissitudo ac dispositio, luculenter docet. Videmus enim, quemadmodum rebus omnibus, tam naturalibus, quàm

ijs,quæ voluptate atq; arbitrio huma no fiunt, suæ sint à Deo Opt. Max. constitutæ tempestiuitates, & occasiones idoneæ; à quibus hominum desideria,conatus,ac instituta pendêre debent; quibus relictis,si quis velit aliud moliri aut conari intempestiuum,& importunum; non modò oleum & operam(quod aiunt)perdat: verùmetiam magnam sibi ipsi animi solicitudinem, vel cruciatum potiùs accersat; Exempli gratia.

2 Est tempus à Deo præfinitum atque ordinatum, quo fœtus in vtero matris formatus, in lucem prodeat. Est etiam,quo iam natus,confecto vitæ curriculo, naturæ concedat. Est serendi, ac plantandi tempus: est & sata, ad maturitatē perducta,euellendi, messísq; colligendæ.

2. Tempus pariendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus vellendi, quod plantatum est.

3 Rursum quis nescit,tempus aliquod esse, & idoneam occasionem verberandi,flagris cędendi facinorosos,deníque,si ita res ferat,occidendi:

3. Tempus occidendi, & tempus sa-

& è contrario ſanandi, atque meden-
di? Aedificia magno labore, ſump-
tu, ac tempore extructa ſunt; atta-
men incidit eadem diruendi, ac diru-
ta ex integro ædificandi, atq; erigen-
di occaſio.

4 Luctus itidem, eiulationes, & la-
chrymæ, in rebus aduerſis, ſuum ſib
tempus vendicant; quemadmodum
& occaſio ſeſe offert, qua, poſito om-
ni labore, lachrymíſque abſterſis, r
ſui te & voluptatibus rectè dedas.

5 Sed & ligna, & ſarmenta, & lapi-
des ad ædificia extruenda aptatos
collectóſque abjiciendi, cœptúmque
opus relinquendi, occaſio aliquando
incidit: vt rurſum abiectos, diſper-
ſóſque lapides colligendi. Quid i
matrimonio? An non ſimiliter vſ
venit; vt modò coniugalibus frua-
mur amplexibus; modò ab ijs a
tempus abſtineamus, atque vxore
ne tangamus quidem?

6 Iam verò & coacervandi, con
geren

nandi, tempus diruendi, & tempus ædificandi.

4. Tempus lugendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.

5. Tempus projiciendi lapides, & tempus acceruandi lapides: tempus amplectandi, & tempus elongandi ab amplexu.

6. Tempus

gerendiq;,atq; recondendi;& rursum coaceruata profundēdi,spargēdi,cō-sumēdiq; tempus esse quis nō videt?
7 Est, quando consuta, textáque rescindas,ac dissuas: atq; rescissa,dissutáque,iterum consuas ac contexas. Est,quando oportunè loquaris: est,& quando rectè taceas.
8 Denique videre est,quemadmodum & amandi diligendíque, & odio prosequendi tempus sit; prælij cum hoste committendi, & rursum pacis cum eodem conciliandæ: &,vt verbo dicam,nihil esse omninò in rerum natura, quod non suas habeat, postulétq; temporum vicissitudines.
9 Quod cùm ita sit,quid superest, prêterquàm vt hæc sibi exempla proponens sapiens,vitam quoq; suam,in duo veluti tempora diuidat;quorum vnum laboribus ferēdis, alterum ijsdem fruendis largiatur? Quod ni faciat,quid aliud consequetur,quàm vt nimijs & immoderatis laboribus se

quærendi, & tempus perdendi: tempus seruandi, & tempus proijcendi.
7. Tempus scindendi, & tempus consuendi: tempus silendi, & tempus loquendi.
8. Tempus amandi, & tempus odiendi: tempus prælij, & tempus pacis.
9. Quid reliquum est facienti in quo ipse laborat?

fatigando, debito vſu, ac fructu ipſe ſe ſpoliet; & cõtinuos animi cruciatus, ac moleſtias, vltrò ſibi accerſat?

10 Mihi quidem certè videtur Deus, natura ſua alioqui clementiſſimus, ac φιλανθρωπότατος, humano generi ſeſe iſthoc modo exercẽdi, atq; affligẽdi cupiditatem, ac miſeriam immiſiſſe; quo vel in hac vita, peccatorum noſtrorũ iuſtas pœnas repetat.

11 Nam, quod ad ipſam rerum naturam, ac creationem attinet; tam pulchrè, tam cõcinnè, tam abſolutè, à ſapientiſsimo illo architecto Deo, creata factáque ſunt omnia; vt ad conſummatam perfectionem nihil addi poſsit; nihílque ad hominum vtilitatem excogitari accommodatius; ſi quemadmodum ſtatis ſuis temporibus à Deo data ſunt, ita & ipſi tempeſtiuè ijs vti norint. Qu quidem Deus inſeuit cordibus, & naturæ omnium rerum, veluti ſeculum quoddam, orbicularémque quẽdam motum

10. Vidi occupationem, quam dedit Deus filijs hominum, ad occupandum in ea.

11. Hæc omnia fecit pulchra in tempore ſuo, etiam ſæculum dedit in cor eorum, abſque hoc, quod non inueniet homo factum, quod

motum; vt in hominum ſeruitium ſemper gyrentur: modò appareant, modò ſeſe abdant; vt in ſyderum reuolutione videre eſt. Quarum rerum duratio, cùm à cognitione noſtra ſit remota, nóſque lateat; ad quam diem, aut horam, iſta, quæ nobis inſeruiunt, ſint duratura; non eſt ſapientis ob eorum ignorationem ſe torquere: maximè, cùm imbecillitatem humani ingenij iſta ſuperent, neque vlla omninò ratio à nobis per omnem vitam noſtram inueniri poſſit eorum, quæ Deus admirabili ſua prouidentia diſponit.

facit Deus à capite, & vſque ad finem.

12 Quare, qui me audit, (audiet autem expertum quiſquis ſapit) poſita rerum iſtarum nimis curioſa indagatione, quæ animum torquet & conficit; operam dabit, vt læto atq; hilari animo præſenti vita fruatur, neq; caſibus humanis cõmoueri ſe nimiùm, aut concuti patiatur: de nulla alia re ſollicitus, quàm vt bonum faciat, hone-

12. Cognoui, quia non eſt bonum in iſtis, niſi lætari, & facere bonum (in) ciuitate.

honestati studeat, pietati se cõsecret, probitatem deniq; atq; virtutem omnem sectetur; neque id perfunctoriè, remissè, aut per interualla; sed seriò, gnauiter, cõstantérq;, quoad vixerit.

13. Et etiam omnis homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de omni labore suo, donum Dei est.

13 Cæterùm illud, quod suprà dixi, tenendum est; mortalium neminem, humanæ duntaxat sapientiæ beneficio, pacato tranquillóque animo, inter tot ærumnas, atque huius vitæ calamitates versari posse: neque comedendo, bibendo, laboribúsque suis fruendo, iucundam vitam agere, cui non id diuina benignitas, ac munificentia largiatur. Verè enim singulare Dei donum est existimandum, si quis αὐταρκῶς καὶ εὐθύμως, præsentibus vtatur.

14. Cognoui, quòd omnia, quæ faciet Deus, ipsa erunt in sæculum: su-

14 Illud autem iterum atque iterum inculcatum volo: non esse de rerum omnium agitatione, motu, ac natura, nimis anxiè cogitandum; cùm omnia, quæcunque sapientissimus ille Deus facit, ac disponit, qualia

qualia sunt, talia permansura sint; suúmque sæculum, & (vt ita dicam) gyrum, rotationémque habitura; vt nemo, quantumuis etiam sapiens, aliquid eis queat addere, aut detrahere; ne si omnes quidem ingenij sui neruos huc intendat. Voluit enim immortale illud & omnipotens numen, vniuersa hæc ita moderari, atque disponere, vt homines hac præstantissima rerũ ordinatione infimæ suæ conditionis admoniti, Deum timere, venerari, atque adorare discant; eiúsque opera admirari potiùs, quàm causas eorum ac naturam exactè intelligere, mentísque acumine penetrare velle.

per id non est addere, & ab eis non est detrahere: & Deus fecit vt timeatur à facie eius.

15 Quando id (vt iam sæpiùs à nobis dictum est) nihil nisi meram vanitatem habet, fieri omnino non potest, quin in hac perscrutatione, stultitiam suam manifestè prodant homines: quòd pleráque vt noua admirentur, quæ re verà antiqua sunt: siqui-

15. Id quod fuit, iam est: et quod erit, iam fuit: & Deus quærit id, quod propellitur

ſiquidem, quod olim fuit, id iam eſt; & quod in poſterum futurum eſt, id iam ante nos fuit; quæque longa temporum ſerie intermiſſa in obliuionem venerant, ea Deus, quando ſibi viſum eſt, repetit, & vt noua hominibus oſtentat.

Aggreditur quartum membrum generalis diuiſionis de honoribus, humanáque potentia: & quot quantáque mala graſſentu, tùm in Republica, tùm in Eccleſia, cùm improbi magiſtratus pro ſua libidine, (ſpreto Dei metu, atque legibus) omnia gubernant.

16. Vltra hæc vidi ſub ſole loco iudicij, ibi impietatem: & loco iuſtitiæ, ibi impietatem.

16 Atque hactenùs de humana ſapientia, voluptate, atque his inuicem permixtis, ſatis (opinor) prolixè diſputaui, planúmque feci, hoc, quod quęrimus, ſummum bonum in his nequaquam eſſe poſitum. Sequitur, vt de quarto partitionis noſtræ mēbro, honoribus, humanáque potentia paucis agam, quæ vti ſapientibus frequen-

ſrequentiùs contingunt; ita & illi, in eorum adminiſtratione, non minùs præpoſterè ſeſe gerunt, quàm in reliquis ſuis occupationibus. Ipſe enim ſæpiùs tribunalia, iudiciorúmque loca diligenter perluſtrans, quídque ibi rerum geratur animaduertens, depræhendi; magiſtratus ac iudices, doctiſsimos etiam atque ſapientiſsimos, (à quibus non niſi æquiſsima quæque expectaſſes) ſuis affectibus indulgentes, potentia ſua turpiter abuſos, ac gratia, odio, miſericordia, largitionibus, alijſque perturbationibus permotos, quibus ius & æquum debetur, eos iniquis iudicijs opprimere; quóſque damnare oportebat, ſententijs ſuis abſoluere. Denique, in ipſo iudicij ac ſtultitiæ foro, ipſam præſidêre iniquitatem atque iniuſtitiam (proh dolor!) ſæpiùs comperi. Vnde, qui in hac parte fœlicitatem ſitam putant, toto (quod aiunt) cœlo aberrant, cùm contrà, nihil

hil sit periculosius, quàm hominem
diuini metus expertem, summis ho-
noribus, atq; potentia armari.

17. *Dixi in que ego in corde meo, Iustum & impium iudicabit Deus: nam tempus omni rei, et super omni facto ibi.*

17 Qui, tametsi Deus aliquis in
hac vita videri posit, quòd eius iu-
dicio, atq; imperio omnes, ipse nul-
lius regatur, aut pareat: tamen alius
in cœlis iudex supremus & incorru-
ptus Deus est, qui fortiter, seueréq; in
istos animaduertet; ad cuius tribu-
nal sistentur iusti pariter atque iniu-
sti; vt præscripto ab eo tempore, de
omnibus factis, dictis, cogitatis, ra-
tionem reddant.

18. *Dixi ego in corde meo super conditione filiorum hominum, vt dilucidet eos Deus, vt videant*

18 Hanc præposteram magistra-
tuum agendi rationem cùm sæpiùs
animo perpenderem; quemadmo-
dum scilicet potentia sua in hoc mun
do abuterentur, non potui non cùm
gubernantium, tum subditorum vi-
cem deplorare: quòd hi ab illis mil-
le modis vexati, præter lachrymas
& suspiria, nullum aliud remedium
haberent: illi hos non pluris face-
rent,

rent, quàm pecudes ad lanienam destinatas. Quibus si Deus, mentis oculis apertis, ostenderet, ex qua materia conflati sint, quæq; ipsorum sit conditio; næ illi viderent nihil esse, quamobrem animis elati, alios præ se tantopere despicerent, ac veluti reiectamenta quędam pedibus conculcarent. Nam si externam hominis formam, & tyrannicam illam potentiam, qua veluti speciosa larua isti excellunt, demas; videbis eos in reliquis, à brutis animantibus nihil admodum differre. *quòd ipsi bestia sibi.*

19 Quippe eadem sors, idem euetus illos, qui belluas, manet. Nam quemadmodum pecora ac iumenta moriuntur, atque intereunt; sic nec isti, quantumuis potentes, mortis laqueos declinare poterunt. Sed vt respiratione spirituque destitutum pecus, motu omni vitáque spoliatum exanime iacet; ita & spiritu respiratione que interclusus homo, inutilis truncus, *19. Quippe euentus filiorum hominum, & euentus bestiæ, & euentus vnus ipsis, sicut mors huius & flatus v.*

nus omnibus: & excellentia hominis ad bestiam, non est, quia omnia vanitas.

truncus, & putre cadauer manet. Nam, tametsi in nonnullis diuersa est hominis & bruti natura, in hoc tamen conueniunt; quòd vtráque spirando respirandóque viuant, eodem flatu, vento, atque aura vitam foueant; quibus si ad breue tempus priuentur, protinùs interire sit necesse, vt hac in parte bestijs homo nihilo sit præstantior; sed vtríque pariter vanitati, ac morti sint obnoxij.

20. Omne it in locum vnum, omne fuit ex puluere, & omne redit ad puluerem.

20 Iam verò ad corpus ipsum, quod attinet, in hoc par est vtriúsque conditio. A quatuor elementis bruta originem trahunt; ex ijsdem, mortale hominis corpus est concretum; vtrúmque ex humo ortum, in humum vtrúmque resoluitur; & eundem vtrúmque locum, vndè venerat, peracto vitæ curriculo, repetit. Stat enim immota, æterni illius iudicis, contra humanum genus, in peccati pœnam sententia; Puluis es, & in puluerem reuertêris. Quare, siue

vitam

vitam ſpectes, (quæ ſpirandi, reſpirandíque facultate continetur;) ſiue materiam, ex qua vtriúſque corpus eſt conflatum, deprehendes neutrum alteri hac in parte præſtare.

21 Reſtat tertia hominis pars, nempè ſpiritus, qui tametſi immortalis eſt, ac proindè longo interuallo belluinæ naturæ vilitatem poſt ſe relinquit; tamen nè in hoc quidem video quid potentiſsimi iſti tyranni brutis præſtent. Ita. n. viuunt, quaſi ſpiritu immortali præditi omninò non ſint; aut ſi ſint quidem, fœdis ſuis vitijs ac belluinis voluptatibus, eum mergunt, ſuffocant, ac ſepeliunt, humíque affigunt diuinæ particulam auræ. Deinde, tametſi ex fide, atque diuino inſtinctu, certò indubitatóque tenemus, ſpiritus hominum, poſt mortem ſupereſſe; tamen quis humana duntaxát ratione, ac iudicio, quo vno iſti ſunt præditi, de ſpiritu hominum atque beſtiarum ſenten-

21. *Quis cognoſcit, ſpiritus filiorum hominum an aſcendens ſit ipſe ſurſum, & ſpiritus beſtiæ an deſcendens ſit infra terram.*

tiam ferat? Quis perſcrutatus eſt enim in modum iſtarum rerum naturas; vt certò ſtatuere poſsit, humanos ſpiritus ſurſum aſcendere; beſtiarum autem ſubter terram euaneſcere, aut ſimul cum corporibus interire? Profectò, neque iſti, eximia ſua atque præſtanti ſapientia, id vnquam aſſequi potuerunt; neque potentia ſua, mortis ineuitabilem neceſsitatem redimere. Vt ſatis mirari non poſsim iſtorum irreligioſorum magnatum audaciam, arrogantiam, ſtultámq; ſuperbiam; quòd cùm in omnibus ferè beſtijs ſint quàm ſimillimi; alios tamẽ iniurijs afficiant, leges & iudicia audactèr violent, reliquos veluti pecudes præ ſe contemnant, ac tantùm non ſemidei ſibi eſſe videantur. Sed ſuperbiſsimis atque elatiſsimis iſtis hominibus, ne dicam belluis atque feris: remedium aliquod mitioribus ingenijs oſtendamus.

22, *Itaque* 22 Equidem, vel potentiſsimo huius

huius mundi monarchæ, eum præposuero, cui Deus, pro sua benignitate, hoc beneficij indulget; vt positis curis, rebúsque omnibus, quæ hominum animos solicitos habere solent; læto atque hilari animo, labore suo partis fruatur; nec ijs meditandis, cogitandísque nequicquam se cruciet, quæ post ipsum euentura sunt; cùm nemo sit omninò tam potens aut sapiens, qui se ab inferis possit in vitam reducere; vt videat, quæ post suum obitum in hoc mundo geruntur; quinimò vel maximorum regum iuxta ac vilissimarum pecudum eadem & hac in parte est conditio; vt postquam hanc suauissimam lucem semel reliquerint, eandem repetere, atque iteratò intueri fas non sit.

vidi, quòd non est bonum, quàm quòd læte tur homo in factis suis: quia hæc portio ipsius: ecquis enim venire faciet eum, vt videat id, quod erit post ipsum?



Ed his, quæ hactenus de potentũ tyrannide dixi, affinis est consideratio eorum, qui ab illis affliguntur. Fieri enim nequit, vt opprimentium crudelitatem cernas; quin oppressos etiam ipsos ex aduerso cõtemepleris. Ad illos igitur me conuertens, vidi, quot, quantísque malis afficiantur mortales sub sole; & quemadmodum tyrannide potentiorum opprimantur; circumuenti dolis, calumnijs, technis, stratagematis, & sycophantijs illorum, qui authoritate pollent, quíque iuris & æquitatis administrationi præsunt. Atque hi miseri, quò confugerent, præter lachrymas, gemitus, ac suspiria, nihil habebant: quibus hoc etiam ad summum mali accedebat; quòd nè solari quidem eos quisquam in tantis doloribus auderet; quinimò familiaritatem eorum ac congressus omnes fugerent; veriti scilicet, nè se

1. Redij etiam ego, & vidi omnes oppressiones, quæ fiunt sub sole: & ecce lachrymæ oppressorum, & non est illis consolator: & à manu opprimentium illos robur, ideóque non est illis consolator.

ipsi in eandem cum illis calamitatem venirent. Nam potentia omnis, robur, atq; authoritas, pœnes ipsos oppressores est, vt nullus omninò consolationi relictus sit locus.

2 Quæ cùm considero, in meliori causa esse iudico eos, qui ex hac misera lachrymarum valle excesserunt; quàm eos, qui in viuis adhuc sunt, atque ingratam hanc lucem aspiciunt; cùm singulis ferè momentis, potentiorum tyrannides, aut ipsi perpetiantur, aut alios non absque mœrore perpeti videant.

3 Sed quid ego mortuos cum viuentibus cõfero; cùm & illi ipsi, qui iam sepulti sunt, tãtum in vita aloes gustauerint, ac tot tantísq; calamitatibus fuerint obnoxij? Quare, vt verbo expediam, pœnè fortunatiorem, & fœliciorem vtrísque, viuentibus nempe ac mortuis, dixerim eum, qui mundum hunc nunquã ingressus, acerbissimæ huius vitę calamitates, & innumeras

2. Ob id, que laudo ego mortuos, qui iam mortui sunt, præ viuentibus, qui sunt viuentes adhuc.

3. Et potiorem præ ambobus, eum, qui adhuc non fuit, qui non vidit factum malum, quod fit sub sole.

meras afflictiones non est expertus.

4. Vidi praeterea ego omnem laborem, & omnem rectitudinem facti, quia est aemulatio viri ad socium suũ: etiam hoc vanitas est, & afflictio spiritus.

4 Nam vt omittamus, quòd à potentioribus ac tyrannis, inferiores ac subditi tam indignis modis tractentur, vt isti illis prędæ esse videantur: illud etiam accedit mali, ex præpostera perturbatáque eorum administratione, pessimísque exemplis; vt tota Resp. infinitis scateat vitijs, & æquales sibi ipsis paulo minus, quàm principes ipsi, sint exitiosi. Viget enim inter eos peruersa quædam æmulatio, occupat animos elatio, odium, inuidia; nec laboranti gnauiter, quo sibi suísque victum paret, nec strenuè & pacatè rem suam agenti, deest æmulus aliquis, qui obliquo lumine industriam eius aspiciat; qui sinistro iudicio næuos in opere disquirat; qui denique præ inuidia omnia sugillet, arrodat, mordeat. Neque verò angustis spaciis morbus hic continetur; sed ad omnes ordines sese diffundit. Nam & faber fabro, & mendi-

mendicus mendico, & cantor cantori, & professor professori, & concionator concionatori, & princeps principi, & magistratus magistratui inuidet; nec vllus denique est artifex, qui non ὁμότεχνῳ, præ æmulatione, negocium facessere conetur. Quæ omnia, vos obsecro, quid aliud sunt, quàm mera vanitas, afflictio, atque tormentum spiritus? siue laboriosam industriam laborantis, & velut ad inuidiam alios excitantis spectetis; siue inuidorum expẽdatis supplicium; qui lubentes, & volentes, ex aliorum prosperitate, cruciatus vltrò sibi accersunt. Sed audire est operepretium, quibus rationibus stulti quidam huic malo remedium quærant.

5 Hos inuidiæ scopulos vitare scilicet cupientes stolidi, imprudenter in alios, non minùs periculosos, incurrunt atque impingunt. Nam cùm ex industria, labore, & præclaris operibus, alios præter inuidiam nihil

5. Stultus amplectitur manus suas, & comedit carnem suam.

hil vident reportare; ſatius eſſe du-cunt ſtolidi homines; complicatis manibus, brachijſque ad quietem compoſitis, deſidiæ atque inertiæ ſeſe dare. Vnde mox abligurito patrimonio, cognatorum & affinium liberalitate deuorata; ſequitur æris alieni conflatio, verſura, depoſiti negatio, fraudes, mendacia, & ſexcenta huiuſmodi, quæ famelicum ventrem expleant, μηχανήματα; denique, rerum turpiſsima egeſtas, & penuria, ac propriæ carnis & ſanguinis tetra deuoratio.

6. Melius eſt implere volam quietè quàm implere pugnos labore & tormento ſpiritus.

6 Neque tamen deſunt huic ſtolido deſidioſo ſuæ excuſationes, quibus teterrimum vitium virtutis prætextu palliet ſtolidus: cuius ſi quis cordatior increpet vecordiam, atque inertiam, ſtatim audiet; Multò præſtare, famelicum eſſe in quiete & otio, quàm laborando, ſudandóque, moleſtias atque inuidiam ſubire: Denique, in promptu eſt tritum illud,

lud, verum quidem, ſed in alienum ſenſum detortum; Præſtat pugillus cum quiete, quàm plena vtráque vola cum labore, & animi cruciatu.

7 Sed quid ego minutatìm omnes mortalium miſerias perſequar; cùm ea ſit humana conditio, vt non tantùm ſuperiores opprimere inferiores conentur, non tantùm æquales æqualibus inuideant; verùmetiam, ſi externa deſint inſtrumenta, quæ nos affligant, & crucient, ipſi nos continuas animi anxietates, ægritudines, & cruciatus, vltrò nobis accerſamus; vt quoquò te vertas, vanitatis, ac miſeriarum plena ſint omnia?

7. Et redij ego, & vidi vanitatem sub sole.

8 Nam, vt ſint in malè adminiſtrata (quam depingimus) Repub. qui potentiorum vim euadant; qui ęqualium inuidiam vel declinent, vel certè non curent; tamen videre eſt, quàm plurimos inſatiabili habendi cupi-

8. Est vnus, & non sunt duo, etiam filius & frater non est ei, & non

est finis omnis laboris sui, etiam oculus ipsius non satiabitur diuitijs. Et cui ego laboro, & fraudo animam meam bono? Etiam hoc vanitas est, & occupatio mala est.

cupiditate ardere. Cúmque nec vxorem habeant, nec liberos, quibus possessiones suas relinquant; sed neque fratres, neque affines, quibus bona sua communicent; imò, nec præ auaritia habere omninò amicos aut curent, aut velint, sed solitudinem ab humana natura alienissimam quærant; nullum tamen laborandi, quærendíque modum aut finem statuere, diu noctúque de coaceruandis amplificandísque opibus anxiè cogitare; denique, quasi perpetuò victuri sint, oculo diuitijs insatiabili talenta talentis addere; &, quod omnium est miserrimum, ne ijs ipsis quidem ad vitæ necessitatem, nedum ad voluptatem, vti, & frui audere. Neque interea inuenustis istis, & ter miseris hominibus, aliquando in mentem venit, cogitare: Et cui tandem ego laboro? in cuius gratiam me tot modis discrucio? Quis (malùm) me impellit, vt meum defraudans genium, & partis

partis miser abstinens, meipsum curis & laboribus excarnificem? cùm solus sim, hæredem nullum habeam, non filium, non nepotem, non amicum; qua sanè vanitate, ac dementia, nescio an inueniri vlla maior possit.

9 Quanto meliùs (quæso) ac rectiùs, qui socium sibi alterum adsciscens, humaniter, familiaritérque cum eo degit, mutuis officijs, ac meritis amicitiam fouet, quæsitis opibus in medio positis, liberaliter ijs cum amicis vtitur, iucundis colloquijs, & humanæ societatis commodis, vitæ huius miserias leuat?

9. Meliores (sunt) duo vno, quia est ipsis merces bona in opere suo.

10 Et quis dicendo consequatur, quanta secum afferat commoda hominum coniunctio, vitęq; consuetudo? Si alter, alicubi fortè impingens, aut lubrico in loco, titubante pede ceciderit; ad manum est alter, qui lapsum subleuet, atq; erigat. Si te casus aliquis, aut morbus grauior, lecto affixit, præstò est qui assideat, consoletur,

10. Quia si ceciderint, vnus eriget proximum suum: & væ soli cùm cadet, & non est alter ad eri-

gendum eum. letur, medicum aduocet, fomenta pa-
ret, nihílque non agat, quo dulci con-
iugi, charísque liberis restituare; de-
níque, habes qui secundis in rebus ti-
bi congaudeat, atque gratuletur; ad-
uersis æquè doleat & commouea-
tur, ac tu ipse. Contrà verò, si solus
sis, consanguineorum, affinium, &
amicorum inops, nemo erit, qui la-
pso manum porrigat, qui decum-
bentem consoletur, qui ægritudi-
ne confectum oratione sua erigat,
animúmque labantem, consilio suo
fulciat.

11. Etiam si cubabunt duo, & calescunt ipsi: at vni non est calor.

11 Itaque, summus ille rerum om-
nium opifex, hominum generi vo-
lens consulere, cùm videret non esse
bonam homini solitudinem, iam in-
de à primis orbis initijs, auxiliatri-
cem viro fœminam adiunxit, vt mu-
tuis officijs se fouerent, atque alter
alterius commodis inseruirent. Nam
si duo simul cubauerint, profligato
frigore, sese mutuò calefacient. At
vnus

vnus seorsim cubans, non facilè per se incalescet; aut ingratum corpori frigus pellet. Et quid tum misero prę auaritia coniugium vitanti, proderunt congestæ diuitię, quid caloris afferet aurum, quid argentum?

12 Societate ergò homini nihil melius; cui ad ea commoda, quæ iam recensuimus, illud etiam non minimum accedit, quòd ab inimicorum iniurijs, & potentiorum insultibus, liberis, atque amicis, tanquam mœnibus quibusdam cinctus, est tutior; & si ab ijs fortè impetitur, eorum fretus auxilio, in certamine superior euadit. Nam, quemadmodum funis tripliciter intortus, aut plures sagittæ in fascem colligatæ, non facilè rumpuntur; sic de eo haud facilè triumphet hostis, qui vxoris, liberorum, atque amicorum præsidio munitus fuerit: quibus se auari præ nimio pecuniæ studio spoliant.

12. Etsi preualuerit illi vnus, duo stabunt contrà, & filum triplicatum non in celeritate rumpitur.

13 Sed

13. *Melior puer pauper & sapiens, quàm Rex senex & stolidus, qui non nouit admoneri vltrà.*

13 Sed vt (relictis huius Reipub. perperàm administratæ corruptelis, externísque vitijs (nam de superstitioso cultu mox dicam) eò reuertamur, vndè digressi sumus, & de potentum conditione, cuius suprà mentionem fecimus, aliquid statuamus. Equidem sic dico: vel potentissimos etiam reges, & imperatores, Dei timore, vera sapientia, consilio atque sententia destitutos, quod ad solidam verámque beatitudinem attinet, né conferendos quidem esse cum priuato quolibet, qui hisce omnibus sit instructus atque ornatus; & sanè, si optio daretur, aut regnum, quod imperiti tantopere admirantur; aut sapientiam, quæ ferè contemnitur ac pro nihilo ducitur, eligendi; malim esse pauper aliquis & sapiens, quàm rex stultus; malim puer esse sapientia præditus, quàm senex stolidus; denique, infimam quamlibet, atque abiectissimam sortem, quæ quidem sapientiam

pientiam comitem habeat, opulentiſsimo regno, cum ſtultitia coniuncto, prætulerim. Sapiens enim, præterquam quòd ſua ſorte, qualiſcúnque tandem illa ſit, contentus viuit, (vt vel in hac parte regiam conditionem æquet, aut ſuperet) ſicubi (vt fit) per ætatem in errorem labitur, ſanioribus conſilijs libenter aurem præbet, & meliora ſuadentes ſequitur. Rex autem ſtolidus, quo eſt ſenior, hoc inſanior; quippe cùm ad potentiam, quæ per ſe monitoris impatiens eſt, accedens ſtulta ſenectus, omnem penitùs conſilijs, rationibus, admonitionibus, viam, aditúmque præcludit. Nam & canitiei ſuæ, hoc deberi putat, vt plùs ex ea intelligere, ac ſapere reliquis omnibus videatur; & regiæ potentiæ, ac dignitati permitti debere poſtulet, vt, quod animo collibuerit, faciat.

14 Quid, quod ſapientia non rarò efficit, vt, non dicam ex media plebe; *14. Quoniam è do-*

niam è do-

mo vinctorum exiuit ad regnandum. Interea vero etiam in regno suo natus eget.

plebe; sed ex muscoso, squalidóque carcere, vinctus aliquis, ad regni fastigium euehatur: hunc sibi præesse, hunc imperare, hunc dominari, propter singularem sapientiam, virtutem, consilium, omnes & expetant & velint; contrà autem stultitia, atque malitia sæpenumero fiat, vt qui ab auis, atque atauis, regnum acceperunt, in eóque sunt nati, atque educati, vel ab ipsis ciuibus suis, atque subditis deserantur, omnibus contemptui sint; denique, imperio spoliati miserrimam, pauperrimámque vitam transigant.

15. Vidi omnes viuentes ambulantes sub sole cum puero secundo, qui stabit post eum,

15 Quin & aliud in regno (quod adeò beatum plerique prædicant,) malum animaduerto, non hercle leue, aut quod facilè possit contemni. Nam, cùm in regia fortuna nihil iudicetur augustius, nihil quod quemquam acriùs impellat, & incitet ad tantam rerum molem patientèr, tolerantérq; ferendā, quàm hominum

studi

ſtudia, laudes, atque honores; nè his quidem ipſis monarchas diu frui videmus. Simulátque enim eis proles naſcitur, quæ in regnum ipſis ſit ſucceſſura, protinùs, proceres omnes regni, optimates, plebs, populus denique totus, à ſummo ad imum, relicto occidente ſole, puerum tanquàm orientem ſolem ſpectant; hunc colunt, hunc obſeruant, huic adulantur, nihílque non faciunt, vt huius animum ſibi concilient; deſpecto interim parente, ac ſene rege, qui non poteſt non vehementer angi, ac cruciari, cùm ſe honoribus, quos ſummos ducit, præmaturè a filijs ſuis ſpoliari videt, qui in vita alioqui priuata, & humili, parentibus ſuis, honori, & præſidio eſſe conſueuerunt.

16 Et hæc quidem vel ſapientiſsimis etiam regibus vſu veniunt; ídque adeò populi ſtultitia, leuitate, atque inconſtantia, qui pueri aduentu, res omnes in melius commutandas arbi- 16. *Non eſt finis omni populo, omni qui fuit ante illos*

etiam posteriores non gaudebunt in eo: quia etiam hoc vanitas, & tormentum Spiritus.

arbitratur, cuíque diuturnus ſtatus nunquam placet, vellétque adeò ſingulis ferè diebus non tantùm gubernatorem, verùmetiam gubernandi rationem, ac politiam commutare. Maiores noſtri, qui priſcis temporibus, ariſtocratia, ac iudicijs vtebantur, eo ſtatu non contenti, reges à Deo flagitârunt; nunc, cùm ſub monarchia viuunt, democratiam atque oligarchiam exoptant. Quam quia introducere non valent, ideò ſolatium inde quærunt, vnde nunquam conſequentur. Nam, quemadmodum iſti adulantur; atque inſeruiunt regi venturo; ſic etiam maiores adulabantur hæredis patri; & ſicut illis minimè ſucceſsit anticipata illa diligentia, ſic nec iſtis ſuum ſuccedet ſtudium, præpoſteráque adulatio. Illi nihil gaudij, nihil ſolatij, nihil denique melioris conditionis inuenerunt in patre, iam ſene, quem tantopere admirabantur, ac ſuſpiciebant,

iuue-

iuuenem; quid obſecro iſti iuuentu-
ti ſunt, in puero fortaſsis ſtulto, cru-
deli, ac tyranno? Vt ſatis mirari non
poſsim, & populi vanitatem, qui va-
nam ſpem non raro pretio emunt, &
incerta præ certis expetunt; & eo-
rum dementiam, ne dicam inſaniam,
qui in regno, potentia, atque hono-
ribus, ſummum bonum ac fœlicita-
tem ſitam eſſe arbitrantur; cùm vi-
deant principum, & maximè eorum,
qui ſapientia deſtituuntur, conditio-
nem, non tantùm inſtabilem eſſe, ac
momentaneam, verùmetiam mille
periculis, miſerijs, & calamitatibus
obnoxiam.

CAP. V.

*Poſteaquam copioſa atque luculenta oratio-
ne aperuit vitia politica, quibus Reſpubli-
ca malè adminiſtrata ſcatere ſolet: nunc
corruptelas, quæ in diuino cultu, negligen-
tia, vel peruerſitate improborum magi-
ſtratuum vigere ſolent in eccleſia, propoſi-
tis aliquot exemplis, graphicè deſcribit.*


Tque hactenùs de vitijs, quæ secundæ legis tabulæ, vtpotè nobis notioribus, sit dictum: nunc de præceptis primæ tabulæ, quæ ad diuinum cultum spectant, breuiter dicamus: humanæque stultitiæ studia præpostera ostendamus: Nam, si quis ad res diuinas animum adijciens, nè ibi quidem voti fit compos, sed pro fœlicitate, vanitatem; imò Dei ipsius iram, atque indignationem reperit, ea demum summa stultitia, atque infœlicitas est. Quo pacto autem id in hac, de qua diximus, perturbata Republica fiat, paucis vobis aperiam; vt & hosce periculosissimos scopulos, moniti declinetis. Nostis Deum spiritum esse simplicissimum, qui cùm nullo loco contineri possit, ipse tamen omnia penetret, omnia impleat, omnia denique suo flatu atque spiritu foueat; neque solùm videat, quæ

oculis mortalium patent, verùm etiam abditiſsima quæque humani cordis, atque mentis penitralia conſpiciat, ac contempletur. Cùm igitur diuinum numen ſpiritualis naturæ ſit, hominémque ad ſui ſimilitudinem creârit, vt ſpirituale ipſi obſequium præſtet; falluntur miſerè homines, qui externis quibuſdam cultibus, & ceremoniolis, ſanctiſsimum Deum colere, ac ſibi demereri volunt; cùm interea malam mentem, malum animum, peruerſúmque ſenſum infidelitatis, diffidentiæ, & præposteræ opinionis de diuino numine retineant. Atqui certiſsimum eſt, Deum magis delectari puritate mentis, atque animi affectibus, ad eius nutum & voluntatem compoſitis, quàm ſacrificiorum, & victimarum multitudine, aut alijs externis ritibus, qui pijs pariter atque impijs communes eſſe poſſunt. Quare, nè vos in huiuſmodi errores incidatis,

atque ex præpostero Dei cultu (vt stulti faciunt) mentis tranquillitatem, verámque fœlicitatem speretis, ostensa mortalium hac in parte vanitate, obseruationes quasdam de diuino cultu vobis proponam, quarum hæc prima sit.

1. Custodi pedem tuum quando ibis ad domum Dei: & appropinqua (magis) ad audiendum, quàm dandum stultorum victimam: quia non ipsi agnoscentes (nisi) ad faciendum

1 Quisquis pietati se consecrare, Deúmque ritè colere cupit, etiam atque etiam videat, vt recto pede incedat in via Domini; pedis autem nomine intelligo affectum internum, cordis propensionem, animique desiderium. Nam, quemadmodum tota corporis moles, pede nititur in incessu, qui si labatur aut impingat, totum corpus corruere est necesse; sic etiam actionum omnium nostrarum veluti pes est reconditus animi affectus, quo veluti basi, nituntur; & ex quo progrediuntur reliqua omnia desideria, verba, opera, incessus denique, status, atque habitus. Quando igitur ad Dei templum, ac

sanctua-

ſanctuarium te contuleris, non illud *malum.*
à me Hieroſolymis fabricatũ modò,
ſed multo magis ad internum illud,
quod eſt in receſſu mentis poſitum,
vbi Deus ſolet præſidere, ſuóſque do-
cere cultores; expende diligentiſsi-
mè, quali ſis præditus affectu, atque
animo, quo ritè compoſito, atque or-
dinato, ad Deum accedito, magna
præditus tùm reuerentia, tùm fidu-
cia; non vt ſuperſtitioſorum ſtulto-
rúmque more, ſacrificia, victimas,
holocauſtomata, aut thymiamata il-
li offeras, quaſi hiſce indigeret; ſed vt
illum loquentem audias, atque te in-
tùs ſua voce ſuóque ſpiritu docen-
tem. Inſtituit quidem Deus ceremo-
nias iſtas legales, pecudum lanienas,
& immolationes, non quòd ipſe his
opus habeat, aut placari velit bellui-
no ſanguine; (quod quidem, ô cogi-
tationem ſtultiſsimam! arbitrantur
imperiti, & ſtolidi homines, ignari
quantum mali ſit, in huiuſmodi co-
 gitationi-

gitationibus, factis, & præpostero cultu;) sed vt istis rebus externis, quasi symbolis quibusdam, ostendatur fidei puritas, fiduciæ securitas, atque spei firmitas, vt etiam appareat, obedientiæ studium, cordis denique propensio, ad diuinæ voluntatis obsequium compositi.

2. *Ne acceleres super ore tuo, & corde tuo, nè festines ad proferendum verbum in conspectu Dei: Deus enim in cœlis, & tu super terram, propterea erunt verba tua pauca.*

2 Hoc ergò, quo dixi, animo constitutus, atque comparatus, ad sacrificium te accinges; non illud taurorum, vitulorum, arietum, aut hircorum, sed potiùs ad sacrificium tui ipsius; vt primùm carnis affectibus enecatis, deinde pura & sincera mente præditus, laudis & labiorum vitulos, gratissimas Deo hostias, offeras. Id autem consequêre, non si (stultorum more) verborum multitudine diuinas (vt ita dicam) aures obtundas, & garrulam orationem effundas; sed si ardentissima precatione, breui quidem illa, sed ex sensu propriæ miseriæ, diuinæque bonitatis orta,

orta, cum fiducia Deum inuoces. Ad hæc, cauebis nè quid festinanter, aut incogitanter, in conspectu Dei proferas, aut effutias; sed vt in sancto mentis recessu, cor tuum priùs meditetur, & sedulò expendat, quid sit orandum, quid petendum, quid deprecandum, pro quibus denique, & quomodo, gratiæ sint agendæ. Quod ni feceris, irreuerenti tua garrulitate, ac battologia, venerandum illud numen non modò non placabis; verùmetiam grauiter offendes; cuius vltio, atque iudicium tremendum est, & formidabile. In mentem quoque illud oranti veniat, Deum, quem inuocas, in cœlis esse, omnia suo nutu gubernare, vel abditissimas cordis tui cogitationes perscrutari, & inspicere; deniq; antequam loquaris, aut aliquid etiam mediteris, nosse, non quid cupias solùm, verùmetiam quid tibi maximè expediat; te verò in terris degere, atque adeò

terræ esse vermiculum, à diuina illa maiestate seiunctissimum; vnde par sit, te summa reuerentia, mentis attentione, quanta denique fieri potest verborum lentitudine ac parsimonia, sacrosanctũ illum καρδιογνώστην affari, suspirijsque potiùs, ac gemitibus, quàm superuacanea, ac prolixa verborum repetitione, cum eo agere.

3. Quia (vti) venit somnus in multitudine occupationis, (ita) & vox stulti cum multitudine verborum.

3 Fieri enim nequit, vt qui battologia ista gaudet, non multa vana, inepta, absurda, & tam sancto cum diuina maiestate colloquio, indigna admisceat. Nam, quemadmodum ex occupationum diurnarum multitudine, varia noctu somnia, mentem perturbãtia oriuntur; ita & in multis verbis, & prolixa oratione, facilè stulta aliqua vox interuenit; siquidem nihil est difficilius, quàm diu, absque vlla distractione, mentem in Deum intentam habere, ac multa simul & sapienter proloqui.

4 Est & aliud vanitatis genus, inter mortales, in nuncupandis Deo votis, valdè affine his, quæ diximus, de præpostera sacrificandi ratione, precationísq; vitijs: Sunt enim pleriq;, qui pueriliter cum Deo agunt, qui quidem multa & magnifica promittant, & voueant; præstent autem nihil. Vt nautæ, aduersis tempestatibus agitati, cùm de mercibus, naue, vita periclitantur, quæ quantáque Deo vota nuncupant? vbi verò ex irato mari, in portum aliquem, aut fidam stationem appulerunt, ne meminerunt quidem eorum, quæ promiserant; nedum vt exoluant. Quod ipsum parturientibus, ægrotantibus, prælium commissuris, iter facientibus, in quocunque tandem discrimine positis, vsu venire animaduertimus; quasi paruum crimen sit, id agere cum Deo, quod si vel cum vilissimo homine agas, boni viri nomen amittas, parúmque constans, & fidus habea-

4. Quando vouebis votum Deo, ne tardabis soluere: quia non est voluntas in stultis: (ideo) quod vouebis soluito.

habearis. Tu verò, quiſquis es, qui pietati ſtudes, quoties vel rebus dubijs conflictatus, vel bono aliquo zelo inſtinctus, votum Deo nuncupas: primùm, etiam atque etiam videto, quid voueas, & an vt voluntatis, ita & facultatis tuæ ſit, exoluere: deinde quod ita promiſeris, fideliter atque hilari animo, dependito. Neque enim Deo placere poſſunt vota illa ſtultorum; quæ vt leuiter nullóque iudicio promittuntur; ita & cùm ſoluenda veniunt, leuiter obliuioni mandantur.

5. *Melior qui non vouebit: quàm qui vouebit, & non ſoluet.*

5 Quinimò multo Deo eſt acceptius, vt votum ei penitùs nullum facias, quàm vt factum non perſoluas. Quid enim hoc aliud eſt, quàm ſacroſanctam illã diuini numinis maieſtatem ludibrio habere? quæ cùm nullius ſit indiga, primùm quaſi egenti promittis; deinde, quaſi dolorem ei ſis inuſturus, niſi promiſſum acceperit, defraudas; cùm omnia

qu

quæ habes, imò quicquid ipſe es, id
vniuerſum ei iampridem debeas.
Quod, ſi à pleriſque ritè perpendere-
tur, non tot ſtulta vota quotidie
nuncuparent, non tot nouas rationes
excogitarent, quibus ſe Deo ſcilicet,
magis magiſque obſtringant; cùm
qui, vel ab ipſa natiuitate, ita ſimus
deuincti, vt nihil omninò addi poſ-
ſit. Poteſt nè Deo vllum votum eſſe
gratius, quàm vt id, quod in genere
omnes debemus, ſedulò meditemur,
nos in imagine Dei, & ad eius ſimi-
litudinem creatos, vt creatorem no-
ſtrum verè cognoſcamus, vera fi-
de colamus, ei in omnibus obtempe-
remus, perpetuo obedientiæ ſtudio
incumbamus, & (vt numero dicam)
exemplar quoddam ſimus diuinæ
ſanctitatis, iuſtitiæ, & pietatis; no-
ſtriſq; moribus & vita exprimamus,
delineamenta illius archetypi, in
cuius imagine creati ſumus? An
non ſatis eſt, noſſe Deum eſſe no-
ſtrum

ſtrum Dominum, nos eius ſeruos;
Deum eſſe noſtrum patrem, & nos
eius filios; ac proindè timorem at-
que amorem Domino, ac patri, debi-
tum exoluere. His præclariſsimis
votis perſoluendis, ſi quis ſeriò in-
cumbat, næ ille videbit nihil ſibi op
eſſe, ad alia commentitia vota exco-
gitanda, quæ nec Deo ita grata ſunt,
nec ipſe fortaſsis ſit exoluturus.

6. Non dabis os tuum ad faciendum peccare carnem tuam: & non dicas in facie Angeli, quod igno-rantia eſt: quare Deus iraſcetur ſuper vocem tu-

6 Neque verò hæc eò dico, quò
vota omnia prorſus damnem; ſed vo-
uentium duntaxat temeritatem, leui-
tatem, imprudentiam, & ſuperſtitio-
nē damno; qui vaniſsimis ſuis voti
Deum ſe demereri poſſe exiſtimant
ac porrò ſolidam illam verámque
fœlicitatem conſequi. Meum ergo
conſilium fuerit, vt nemo labijs ſuis
atque ore, ad ſui ipſius noxam, & ex-
itium abutatur; néue ſe peccato, per-
fidiæ, & periurijs implicet, dum
ſpondet, quæ non ſit præſtiturus.
Nam, poſtquam ſemel verbum co

ran

ram Deo protulisti, eique aliquid es policitus, iam tui ipsius oris vinculis es adstrictus, neque valebunt stultorum illę voces; Nesciui quid promitterem, non præuidi quid dicerem, non satis perpendi, non cogitaui, imprudēs feci. Quid quòd præter Deum (cui tu votum nuncupas) angelum etiam tui custodem, tuę leuitatis & perfidiæ testem habes? Vnde adeò, nulla valebit excusatio, vt non meritas Deo pœnas sis daturus; cuius, cùm in tuas mendaces promissiones semel exarserit excandescentia, quicquid feceris, aut molitus fueris, omnia denique tua consilia, decreta, & instituta, euertet atque dissipabit.

am, & dissipet opera manuum tuarum.

7 Hæc autem mortalium in nuncupandis huiuscemodi votis vanitas, & stultitia, non aliunde prouenit, quàm quòd animus solida Dei cognitione carens, veræ fidei expers, fluctibus multarum cogitationum, atque

7. Nam in multitudine somniorum & vanitates & multa

verba: verùm tu Deum time.

atque consiliorum agitatur, nunc in hanc, nunc in illam partem propendet, ac cæcutiendo, & veluti palpitando, fœlicitatis metam quærit; vnde euenit, vt dormientium, & somniantium more, multa in diuino cultu vana excogitent, multis votis sese adstringant, innumeris denique repagulis, atque vinculis, seipsos in miseram seruitutem redigant; vnde postea nullo modo se queant extricare; quin relicto pacto, quod cum Deo pepegerunt, fractáque fide, & spretis solennibus votis, Dei præsentiam fugiant, & diaboli mancipia seipsos constituant. Verùm his relictis, quisquis Deo cupis verè inseruire, & summum illud, quod quærimus, bonum consequi, in hoc totus incumbe, vt serues diuinum timorem. Nam, qui Deum timet, faciet bona, neque temerè coram Deo effutiet, quicquid in buccam venerit; sed prudentia, & diuini spiritus consilio

vtetur

vtetur in votis nuncupandis, & quicquid promiſit, quàm poterit ocyſsimè perſoluet.

8 Eſt & alius diuini metus fructus vberrimus. Quodſi quando videris, (videbis autem ſæpius) homines pauperes, miſeros, & calamitoſos opprimi principum, & potentum tyrannide; iuſtitiáque è medio pulſa, vi geri rem: non mirabere; non dubitabis, an ſit Deus aliquis, qui iſta moderetur, aut de rebus humanis ſecurus, atque otioſus, ad hominum ſcelera conniueat; cùm hæc omnia diuina fiant permiſsione, & voluntate; neque fortuitò accidant mortalibus. Ordo enim diuinæ prouidentiæ, in rebus humanis hic eſt; vt potenti imperet potentior, fortem in ordinem cogat fortior, robuſtum coerceat robuſtior, diuitémque ditior; denique præſtantiores, & excellentiores excubias agant, attentéque obſeruent omnia, quæ in-

8. Et ſi oppreſſionem pauperis, & rapinam iudicij & iuſtitiæ videbis in prouincia; ne mirabere ſuper hac re: quia excelſus ſuper excelſum obſeruat: & excelſi ſuper eos.

feriores perpetrant. Neque mirum videri debet, cùm tot sint præfectorum in prouincia gradus, quorum alter alteri imperat, quod aliquãdo Rex prouinciæ, qui omnium summus est, cauere non possit, ne cui fiat iniuria; Quin si Rex ipse tyrannus est, & subditos gaudet affligere, habet se potentiorem in cęlis Dominum, regúmque regem, qui facta eius adspicit, & suo tempore vindicabit; cuius non tantùm oculis humana omnia negotia patent, verùm etiam nutu ac prouidentia gubernantur. Hac cogitatione armatus verus Dei cultor, diuinóque timore præditus, omnes calamitates, oppressiones, & miserias, quas vel ipse perpetiatur, vel alios perpeti viderit, diuino numini, eiúsque prouidentiæ committet. Sed de diuini timoris fructibus, quodque in eo fœlicitatis caput ponendum sit, in sequentibus latiùs ostendemus. Et quoniam de supersti-
tione

tione, seu prępostero Dei cultu, quod vltimum in partitione hac fuerat membrum, satis diximus; & quo pacto à pijs magistratibus diuinus cultus restaurari debeat: superstitiones autem retexuimus, docuimúsq; tantùm à fœlicitate abesse, vt mera sit vanitas, ac Dei iritatio; nunc reliquum videtur, vt de diuitijs, atque opibus, quibus tanto studio mortales inhiant, aliquãto fusiùs (vt in nostra partitione promisi) agamus; ostendamúsque ne hunc quidem adeò περιμάχητον, ac ferè vnicum mundi Deum, fœlicitatem hominibus afferre posse.

Quartum membrum generalis enumerationis aggreditur: atq. pleonexias morbum, quo plerique mortales laborant, graphicè depingit.

9 Atque vt hoc argumentum, ab ipsis principijs deducam, non possum satis mirari hominum stultitiam, *9. Sanè excellentia terræ in*

omnibus est: Rex agro est addictus.

tiam, qui relicta terræ fœcunditate, excellentia, atque præstantia, ad ea omnia, quæ ad victum cultúmque, & honestam voluptatem pertinent, abundè nobis suppeditāda; alijs nescio quibus rebus, animum sitientem & esurientem saturare, atque explere satagunt. Priscis illis temporibus, quibus maiores nostri Abrahamus, Isaachus, Iacobus, reliquíque Patriarchæ Deo ex animo seruiebant, & modicis ac naturæ aptis contenti, cœlestia potiùs meditabantur; vna tellus satis illis erat, ad omnia corpori necessaria subministranda. Itaque, ne reges quidem ipsi, præter maiestatem suam esse ducebant, agris colendis operam dare; vtpotè quo studio, nec honestius aliud, nec naturæ conuenientius, nec sibi suísque vtilius putarent: nunc verò eo dementiæ ventum est, vt relictis illis diuitijs, quæ in terræ superficie apparent, ac mediocri labore, arando

scilicet,

ſcilicet, ſeminando, ac metendo, parari poſſunt, mortales in hoc toti ſint; vt abditiſsima, in terræ vænis, ac viſceribus metalla, magnis ſudoribus ac periculis perquirant, atque inueſtigent, inuenta admirentur, pro dijs adorent, eorum cauſa litigent, belligerentur, denique miſerrimas lanienas, alij in alios exerceant.

10 Atqui hæc pecuniæ cupiditas, quid obſecro habet boni? quid non potiùs mali? quæ cùm animum ſemel inuaſerit, ac veneno ſuo delibutum infecerit, adeò inexplebilem, adeóq; inſatiabilem reddit, vt nullæ eum copiæ ſatiare queant. Nam, rerum quidẽ ad vitam neceſſariarum, modus quidam, atque terminus à natura eſt præſtitutus, quem cùm ſis conſequutus, vltrà nihil deſideres; diuitiæ verò, atque pecuniæ, quas non natura, ſed cupientis animus terminat, cùm immenſæ ſint, atque

10. Amãs argentum, non ſatiabitur argento: & qui amat in multitudine, non habebit prouentus: etiam hoc vanitas.

infinitæ, immenſam quoque & infinitam ſui cupiditatem auaro afferunt; & quemadmodum ijs, qui intercute laborant, nulla aquæ copia ſitim pellit, quin potiùs quanto plus hauſerint, tanto bibendi cupiditate magis magíſque inflammantur, ac ventre turgente morbus ipſis augetur; ita & diuitiarum admiratoribus creſcente pecunia, habendi cupiditas non minuitur: ſed quo plures, maioréſque theſauros congeſſerint, tanto maiori auiditate, eos ſemper augendi, crucientur; creſcítq; amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Adde quòd qui coaceruandis opibus nimis anxiè & ſollicitè incumbit, ipſo ſe diuitiarum ſuarum prouentu, ac fructu ſpoliat; quarum vſus cùm partim ad neceſsitatem, partim ad delectationem, honeſtámque voluptatem ſit comparatus; neceſsitati vix ac ne vix quidem ſatiſfacit, ęgrè ferens, ei aliquid eſſe tribuendum; volupta-

luptatibus verò, in aſſem ſe priuat, quòd tantum ſibi de fœlicitate ſua decedere exiſtimet, quantum de pecunia deceſſerit. Denique, tàm augendi cupiditate, quàm amittendi metu, quaſi ancipiti quodam malo exagitatus, vitam vna cum diuitijs ſibi iniucundam facit; quo morbo, atque animi peſte, quid dici vanius, imò quid veſanius excogitari poteſt?

11 Sed demus ſanè diuitem facultatibus ſuis frui. Num ideo vel paulo erit eo, qui in mediocri fortuna ſit conſtitutus, fęlicior? Num pluribus veſci, plura bibere, plures denique ſibi ventres, quos ſatiet; plura corpora, quæ veſtiat; parare poterit? Paucis profecto natura contenta eſt, quibus qui plura poſsident, non tam ſibi ea quàm alijs habere videntur. Aut enim ſcrinijs ſunt concludenda, quod curarum plenum, miſerum eſt & turpe; aut famulis, ancillis, vernis, & parasitis,

11 In multiplicatione bonorum, multiplicantur comedentes ea: & quid recti poſſeſſoribus eorum, niſi aſpectus oculorum ſuorum?

rasitis, non rarò alendis impendenda; ex quibus quid aliud boni, aut fructus diues percipit, quàm quòd pecunias contrectando, numerando, ponderando, & metiendo; argenti atque auri fulgore, visus eius recreetur, ne dicam fatigetur? Quódque aliorum liguritionibus & helluationibus suos pascat oculos, sæpè non modò nullam omninò gratiam ex ijs reportans, sed ijs ipsis etiam, qui alienis laboribus aluntur, ridiculus.

12. Dulcis somnus colenti agrum, siue parum siue multum comedat: saturitas autem diuitis non ipsa sinit eum dormire.

12 Neque verò si delicatioribus, pluribúsque diues, quàm pauper aliquis rusticus, vescitur ferculis, eo beatior est iudicandus: quinimò, si verum dicendum est, hoc ipso multo etiam est infœlicior. Nam, agricola, qui rus suum colendo, terram vertendo, arandóque, corpus diurnis laboribus exercet, ijs vescens hilariter, quæ ipsi grata tellus produxerit, placidè totam quiescit noctem, nec dulcem somnum desinit capere, siue parcè,

parcè, siue largiùs cœnatus fuerit: moderatus quippè victus, placidum, lenem, & æquabilem vel cuilibet gignit somnum; satietas verò, quæ alijs obest, hunc interdiu fatigatum, profundo atque alto somno consopit: & laboribus postridie fortiùs sustinendis, vires suppeditat: denique, non immodica magis, quàm modica diæta, valetudinem ei facilè excusserit; cùm labor cibum quantumuis copiosum conficiat, ac concoquat. At contrà diues, qui rerum copia circumfluit, si (quod rarò contingit,) moderato victu vtitur, præterquam quòd in hac parte nihil plus ex diuitijs suis, quàm ex tenuitate pauper percipit, etiam curis, cogitationibus, anxietatibus, animũ occupantibus, somnũ nisi ægrè capere nõ potest; sin verò (quod ferè fit) quasi diuitiarum suarum fructum expetẽs, genio, ventríque suo statuit indulgere, ad eámque rem dubias cœnas,

varia fercula; delicatiſsimas menſas, exquiſita condimenta, aliáque id genus gulam iritantia comparat; quaſi naturam tacitè inſimulans, quòd aut laxiorem aut plures ei ventres non ſit largita: Deus bone, quàm miſeram, quàm grauem traducit noctem, dum præ ſatietate, & crapula, ſtomacho grauato, & cerebro vaporibus occupato, aut nullum omninò; aut ſi aliquem, inquietum, vaporoſum, ac turbulentum ſomnum capit! Vnde poſtea ſtomachi cruditates, capitis dolores, ἀορεξίαι, febres, podagræ, cohors denique morborum eum inuadit, quos nulla opum vi ſit propulſandi ratio.

13. Eſt malum, quod vidi ſub ſole, nempè diuitias ſeruatas à dominis illa,

13 Quid quòd non raró iuſto Dei iudicio vſu venit, vt eæ ipſæ diuitiæ, ac theſauri, in quibus fœlicitatem, ſpem, ac fiduciam ſuam miſeri auari collocârant, exitium ipſis, & præmaturam mortem afferant? Non morbis modò, corpus ante diem conficien-

cientibus; verùmetiam (quod eſt miſerius) aut filio, aut vxore, aut hærede, aut famula, aut verna, aut fure etiam aliquo externo, aut latrone, veneno per dolum, aut telo per vim, auaro diuiti mortem intentante; vt adamatas ſcilicet, & beatas illas opes à iuſto domino ad ſe transferant, quę & ipſos poſtea, in eandem fortaſſe fraudem inducant.

rum in malum ipſorum.

14 Atq; vtinam hoc, quicquid eſt mali, non etiam grauiora ſecum afferret. Nam corporis quidē mors, ex æquo communis eſt omnibus; ſiquidem ſemel, aut febri, aut phtiſi, aut laqueo, aut naufragio, aut alio modo perſoluendum eſt naturæ debitum, peccatíq; ſtipendium; ſed illud multo omnium eſt miſerrimum, quòd nō modò indignè circumuentus moritur; verùmetiam vitam amittit in occupatione peſſima, quæ in æterni exitij, & damnationis periculum eum conijciat. Quid enim boni ſperari

14. *Et pereunt diuitiæ illius in occupatione peſſima: & genuit filium, & non eſt in manu eius quicquam.*

rari poteſt de eo homine, cuius ani-
mus, nihil vnquam niſi aurum, & ar-
gentum eſuriuit, aut ſitiuit, parùm
admodum, aut nihil temporis tri-
buens rerum cœleſtium meditatio-
ni, ſuęque ſalutis negotio? Cui etiam
& illud non rarò ad reliqua mala ac-
cedit, quòd ex omnibus ſuis opibus,
tanto labore partis, curáque conſer-
uatis, ne filio quidem, poſt parentis
obitum, tantum relinquatur, quan-
tum vel ad miſeram vitam tuendam
ſatis ſit; ſed egeſtate, atq; inopia mi-
ſerè contabeſcat.

15. Sicut exiuit de vtero matris ſuæ, nudus redibit ad eundem, ſicut venit: & quicquam non auferet

15 Nam diuitis in ſepulchrum
nihil eorum ſecum aſportantis, quæ
in ſuam perniciem parauit, parua ha-
benda eſt ratio; Ea enim in re mor-
talium omnium aleam ſubit, quando
ius naturæ, hoc eſt, Vt qui nudus ex
matris vtero, in lucem prodijt, nudus
etiam lucem relinquat; & corpus,
quod ex terreſtri materia, & corru-
ptibili concretum eſt, omnibus diui-

tijs

tijs atque ornamentis ſpoliatum, in pulueren redeat; neque quicquam homo ex labore ſuo tollat, quod ſecum aſportet. Nam, ſi quid (vt quidam ſuperſtitiosè funus adornantes faciunt) veſtis pretioſæ, auri, aut argenti in ſepulchro cum eo concludatur, ei iam exanimi, atque omni ſenſu ſpoliato, nihil quicquam prodeſt, ſed vermibus potiùs (ſiquidem ijs delectari poſſent) deliciæ illæ parantur.

de labore ſuo, quod ferat in manu ſua.

16 Quod profectò nunquam diuitibus iſtis in mentem venire; neſcio, mirandum ne magis, an dolendum ſit. Illud ſcio, ſi perpenderent, quòd prorſus, vt in hunc mundum introierunt, ita ſibi tandem erit ex eo diſcedendum; viderēt ſanè, quàm nullo cum fructu, ac de nihilo, tot ſudores, laboréſque exhauriant; ac perindè faciant, ac ſi ſemen in ventum ſpargerent.

16. Et etiam hoc malum: ægrum, omninò quemadmodum venit, ſic vadet: & quid reliquum ei, qui laborauit in ventum?

17 Et quid obſecro beatis iſtis eſſe poteſt miſerius; quibus ea ipſa vita,

17. Etiam

vita, qua reliqui mortales, dum licet, iucundè fruuntur, insuauis; hæc lux, quæ reliquos exhilarat, & recreat, ingrata, atque acerba est? Comedunt illi quidem, bibunt, atque ambulant, non secus atque alij. Sed quid? Hæc quasi aliud agentes obeunt; solem sibi splendidissimum affulgere tum existimantes, quando vilis alicuius lucelli, quæstúsque sese spes ostenderit. Auri inquam fulgore, ac radijs collustrati, suo quodam tristi, ac tetro gaudio, gaudent. Contrà, solem sibi eripi, séque in mera caligine, ac tenebris, hoc est in summa miseria, versari arbitrantur, si quando congerendarum opum abest occasio. Qua quidem peste laborans animus, facilè (vtpotè debilis, putris, exulceratus, atque inflammatus) offenditur; plenúsque est morositatis, irę, indignationis. Ipsum quoque corpus, quod à tam monstroso possidetur domino, pallore, macie, tabe, omni denique

omnes dies suos in tenebris comedere solet: & indignatio multa, & ægritudo, & ira.

18. *Ecce quod vidi ego bonum, pulchrúmque esse: comedere, & bi*

nique morborum genere excarnificatur.

18 Quanto (mea quidem sententia) consultius fecerit, qui labore atque industria paratis, quod satis est, opibus contentus, ijs fruatur; non modò ea, quæ sibi diuina benignitate data sunt, ad vitæ necessitatem, victum, cultúmque, verùmetiam aliquam partem, ad honestam voluptatem, liberalitatémque in amicos & egenos conferens? Sic enim, nec immodicis laboribus semetipse conficiet, & ex modicis suis opibus, plus fructus atque emolumenti percipiet, quàm alij ex infinitis suis copijs.

19 Neque verò vulgare illud Dei donum existimandum est, si cui ad diuitias, opes, & copias, animũ etiam prudentem largiatur, qui facultatibus vti, ac frui norit; Nam, neq; pecuniæ magnitudo absque vsu quicquam prodest, quin potiùs plurimum obest, neque artem fruendarum

bere, & videre bonum in omni labore suo, quo laborabit sub sole numero dierum vitæ suæ, quam dedit ipsi Deus: quia hæc portio ipsius.

19. Etiam omnis homo, cui dedit Deus diuitias & dominari fecit eum, ad comedendum ex eis, & ad auferendum portionem

suam, & ad gaudendum in labore suo: hoc donum Dei est.

20. Quia non multum recordabitur dierum vitæ suæ, quia Deus exaudit in gaudio cor ipsius.

rum opum tenere quicquam profuerit, si desint facultates, in quibus eam exerceas.

20 Vbi autem vtráq; concurrunt, (concurrunt autem nusquam, nisi si quem sui obseruantem, ac timentem, Deus singulari hoc beneficio affecerit) ibi miseriarum & calamitatum, quæ in hanc vitam confertim incidunt, dulcis obrepit obliuio, & honesta voluptate, & gaudio (quibus homini nihil est melius) animus perfunditur.

CAP. VI.

1. Est malum, quod vidi sub sole, & frequens est super homines.

2. Vir, cui dedit Deus diui



Ed (proh dolor!) animaduerto hoc Dei beneficium, vt magnum est, ita rarò, & in paucissimos duntaxat conferri.

2 Meliorem quippè hominum partem videre est, facultatibus, opibus,

bus, honoribus, gloria, ijsque omnibus, quæ optari posse videtur, cumulatam; vt iures ijs ad summam fœlicitatem nihil quicquam deesse; quibus tamen hoc negatum est, vt præclarissimis istis donis vtantur, fruantúrq; . Ita enim ista possident omnia, vt ab ipsis possideri potiùs videantur; ita dominantur, vt ijs inseruiant: deniq;, ita habent, quasi sua non sint, sed alijs ea custodiant; atq; attingere omninò nefas ducant; perinde ac si quis sitibundus mẽto tenùs in medio flumine collocatus, ne sorbere quidẽ quicquam, ad miseram sitim restinguendam audeat; veritus scilicet, ne quid de summa aquę decedat; aut instar talparũ, quæ se terra explere metuunt, ne quãdo eadẽ illas destituat. Quo quid stultius, quid vanius, imò quid miserius dici, aut fingi potest? Itaq;, iustas Deo nequitiæ suæ pœnas pendunt, cũ magno animi cruciatu, à bonis suis abstinent, quæ intemerata,

tias, & facultates, & gloriam & non est defectus animæ suæ, de omnibus, quæ concupiscet: cæterùm, non fecit dominari eum Deus ad comedendum ex eo, vir extraneus comedet illud: hoc vanitas, & morbus malus est.

 inuio-

inuiolatáque, alienis poſtea, ac helluonibus fortaſsis, ac nepotibus, relinquant deuoranda.

.Si genuerit vir centum, nec ſolùm annos multos vixerit, verùm etiam multiplicauerit dies, qui erunt annorum ſuorum, interim anima ipſius non ſaturatur ex bono, & etiam ſepultura non fuit ei: dixi meliorem eo eſſe abortiuum fœtum.

3 Nec mihi quiſquam hoc obijciat; Liberos gignet, ſobolē procreabit, cui ea, quæ in vita corraſerit, relinquat. Mihi verò iſte, ſi vel centum filios, totidémque filias, hæredes habeat, & cornices ipſas viuacitate ſuperet, ne tantillo quidem ob id beatior iudicabitur; quando nec in hac vita, prę auaritia, appetitui, ac deſiderio ſuo, audet ſatiſfacere; nec moriens, tantum cadaueri ſuo honoris impertit, vt honeſta ſaltem ſepultura, illud dignetur; aut pro dignitate, iuſta ſibi fieri velit. Taceo ꝙ ſæpè iuſto Dei iudicio, canibus, ac volucribus inhumati huiuſmodi homines eſca fiunt; qui in vita pauperibus eſcam denegârunt. Nā ad prolem quidem quod attinet, quid ea obſecro ad fœlicitatem eis confert? quæ quanto eſt numeroſior, tanto miſeram quærendi

rendi cupiditatem magis inflammat, tantóque maiorem auaro dolorem inurit, qui ſibi alendis tot ventribus pecuniam conſumi videt. Quo autem vitæ plures anni acceſſerint, eo diuturnior ei eſt miſeria; vt mihi tali beato, vel abortiuus aliquis, qui nunquam lucem hanc aſpexit, minùs miſer eſſe videatur.

4 Nam qui ab vtero matris mortuus prodit, verſatur ille quidem in tenebris alui maternæ, ignarus rerum omnium; ac porrò ſecurus de his, quæ in hac vita geruntur: ita eſt, quaſi qui non ſit, vnà cum ipſo, eodem quaſi momento, memoria ac nomen eius interit.

4. Quamuis in vanitate venit & in tenebris vadit, & in tenebris nomen illius tegitur.

5 Denique, ſolis ille quidem iucundiſsimum illud iubar non aſpicit, neque alias vitæ commoditates vllas percipit: ſed hæc mihi omnia talia eſſe videntur, vt ſi cum infortunatiſsimi illius diuitis, atque auari conditione conferantur, beatus abortiuus

5. Etiam ſolem non vidit, & non agnouit: requies huic (abortui) præ illo (diuite.)

tiuus præ illo ſit iudicandus. Hic, vitæ quidem commoda nunquam eſt expertus; ſed nec experiri quidem, vtpotè qui ea ignorauit, vnquam cupiuit. Ille, ſummo ſtudio ac labore bonum appetens, cùm id nulla ratione aſſequi poſsit, in maximos dolores ac luctus incidit. Hic, propter præmaturum deceſſum, vt nihil boni, ita neque mali quicquam perpeſſus, quieſcit. Ille, bonorum, quibus reliqui fruuntur, omnium expers, in perpetua miſeria, atque animi cruciatu vitam ducit, morte grauiorem. Denique, quanto ſatius eſt omninò nunquã vixiſſe, quàm natum, ærumnis, ac miſerijs obrui; tanto abortiui ſors, infœliciſsimi auari conditione, tolerabilior videtur.

Etſi ei ... erint ... o millia ... noru͂, & ... num non

6 Sed dicat aliquis; In multam ætatem vitam protrahet. Eſt, fateor, vitæ diuturnitas (ſi quis ea rectè vtatur) Dei donum, haud contemnendum; ſed quid ea obſecro vtilitatis

confert

confert auaro? qui etsi bis mille annis superstes esset; tamen cùm præ immensa auri auiditate, omnibus vitæ huius bonis, commoditatibus, & oblectamentis ipse sese spoliat: quid aliud, quàm malorum accessionem, annorum ei attulit multitudo? Quorum vbi terminus semel aduenerit, eodem cum embryone fato tenetur, eodem sepulchro obruitur, vna mortis conditione, abortiuo par: (siquidem in eundem locum abit vterq;,) reliquis omnibus longè illo miserior, atque infortunatior.

vidit: a[n] non ad l[o]cum vnu[m] omne va[]dit?

7 Et quis non hunc teterrimũ auaritiæ morbum detestetur? quis non stultitię, atq; adeò insanię dãnet eos, qui quęrendi, laborandíq;, nullũ neq; modum neque finem faciunt? Equidẽ si dicant, se ori suo inseruire, id est, de corporis sustentatione esse solicitos (quò certè omnis hominũ labor spectare debebat) quid opus est, pro re tam facili, tãta distringi solicitudine,

7 Omnis labor hominis ori suo: & etiam anima non im[]plebitur.

aut tanto labore defatigari? Etenim, natura paucis contenta eſt; & paratu ſunt facilima, quæ ad corpus alendum, veſtiendúmque requiruntur; vt vel vnius anni labor, quod in omnem vitam ſufficiat, homini moderato ſuppeditaturus videatur; ſin autem animi ſui cupiditatem infinitam auent explere, quis non eorum deteſtetur vecordiam? quis non ſtultitiam rideat, qui id tentent, quod nunquam poterũt pręſtare? Etenim, cùm infinitus eorum ſit animus, & ad infinitum nunquam pertingi poſſit, nunquam profectò ea, quæ appetiuerunt, conſequentur; imò, quanto propiùs ad animi expletionem videbuntur accedere, tanto ab ea aberunt longiùs; quòd continuò magis magíſque velut irritetur, ac prouocetur animæ cupiditas; non aliter atque ignis, cui, quo plura ſubieceris ligna, eo magis gliſcere, ac furere cernitur.

Quæ 8 Tantum igitur abeſt, vt in mag-

na

na pecunia, eiúſque conquirendæ ſtudio, atque induſtria, pars aliqua fœlicitatis ſit poſita; vt hæc atque alia infinita mala coniuncta habeat; adeò vt huiuſmodi ſtolido diuiti atque auaro, meliori mihi conditione eſſe videatur ſapiens pauper, qui rebus, & hominibus vti; ſcitéque, & prudenter inter mortales verſari nouit; cui tametſi res tenuis eſt, ac parua, & in diem (vt aiunt) viuat; tamen ſua ſorte contentus, nihil quærit, nihil appetit, nihil optat ampliùs; diuinitúſque ſibi conceſsis, æquo animo fruitur; huiuſmodi inquam pauperem ſtolido diuiti longè antepoſuerim.

igitur excellentia ſapienti præ ſtulto: quid inopi, inopi cognoſcenti ad ambulandum iuxta viuentes?

9 Vel hoc vno (vt de reliquis interim prærogatiuis, quæ & multæ, & magnæ ſunt, nihil dicam,) quòd ille ex paupertate, & tenuitate ſua, tantum vſus fructúſque percipit, quantum ad vitę neceſsitatem, honeſtámque voluptatem ſatis eſt; hic ęas ipſas

9. Melius eſt videre oculis, quàm ambulare anima.

Etiam hoc vanitas, & fractio spiritus.

ſas opes, quibus abundat, ac circumfluit, ſtulta maiorum opum cupiditate, ac ſpe, infructoſas ſibi reddit, atque inutiles; cùm & genium ſuum, ne quid de ſumma decedat, non rarò defraudet, & omni voluptatum genere ipſe ſibi interdicit; hiante ſemper atque anhelante animo, ſpe maiores diuitias ac facultates congerendi; vt in pauca conferam; præſtat pauxillum pecuniæ habere, eóque rectè vti (voluptatem ex tuo labore capiendo,) quàm ingentem auri aceruum poſsidere, quem ſpe augendi, cumulandíque violare non audeas: quo profectò nihil fieri poteſt vanius, aut quod animum magis excruciet.

10. Id quod eſt, iam vocatum fuit nomen eius, & cognoſcitur quòd

10 Neque adeo mirum, ſi auari actiones vanitati obnoxiæ ſunt, cùm ipſemet euanidus, & ad breue tempus duraturus arguitur; quem ne multitudo quidem pecuniæ, quantumlibet ea magna fuerit, ab interitu vindicare poterit, quin fortior, ac robuſtior

bustior mors, cùm inuaserit, imbecilliorem abripiat, nec quicquam ei reliqui faciat, præter hoc vnum, quòd (vt cæteri itidem mortales) vixerit, ac homo aliquãdo fuerit appellatus. Atque hic est finis infœlicis illius auarorum, diuitúmque fœlicitatis.

est homo, & non poterit litigare cum eo, qui fortior est eo.

11 Et quid ego singula mortalium studia persequar; cùm certum sit, nihil esse in rerum natura non vanitati obnoxium? Ac porrò, quanto eorum plura parateris, tanto plus vanitatis, nedum infœlicitatis fueris consequutus. Quare, ex his quæ hactenus à nobis dicta sunt, facilè quiuis intelligit, neque in mundana sapientia, neq; in voluptate, neq; in honoribus, atq; potentia, neq; in diuitiarũ opúmq; coaceruatione, atq; affluentia, (in quibus ferè omnia hominum studia consumuntur) summum illud (quod quærimus) bonum, situm esse; sed aliundè eruendum, atque petendum.

11. Certè sunt res multæ multiplicantes vanitatem: quod operepretium est homini?

12 Quid est igitur, dicat aliquis,

12. Quis

igitur nouit quid bonum homini in vita numero dierum vitæ vanitatis suæ, & quos peraget tanquam vmbram? Deinde, quis indicabit homini quid erit post ipsum sub sole?

aut vbi inuenietur summum illud hominis bonum, quod hominis animum, tranquillum, pacatúmque reddat; verè ac solidè beatum faciat? Profectò illud (vti dictum est) constat, in quancunque partem te vertas, in rebus humanis, bonum hoc non comparere; vel quia ipsæ res per se fluxæ sint, ac fragiles; vel quia, licèt fœlicitatis plurimum haberent, tamen homo his, propter vitæ breuitatem, nec diu, nec constanter vti potest; quippe ingruens mors, omnem vitæ fructum ac voluptatem tollit; & instantis necis meditatio, vitæque vmbra fugacioris cogitatio, id ipsum, quod in vita putatur bonum, acerbum, atque insuaue reddit. Sed nec illud sciri potest, an istam tantopere expeditam omnibus beatitatem, post mortem simus adepturi. Neque enim viuentium quisquam ea est expertus; nec eorum qui defuncti sunt aliquis, quæ apud

apud se gerantur, aut qua conditione agant, mortalibus renunciauit.

Est ergò res difficilis, atque adeò humano ingenio diuinæ lucis experti, imperuestigabilis, nosse, in quo posita sit vera illa ac solida fœlicitas. Ego autem, cui hoc arcanum pro sua benignitate Deus aperuit; tam salutarem, támque necessariam cognitionem haudquaquam inuidebo; sed quicquid eius est, liberaliter fidelitérque, Deo fauente, iam iam vobis communicabo.

CAP. VII.

Altera concionis pars, qua tractationẽ aggreditur de summo hominis bono, quod in religioso sempiterni numinis metu ex phrasi prophetica collocare videtur. Atq; hoc veluti fonte ἐυθυμίαν, καὶ αὐταρκίαν *prouenire affirmat: quæ hominis animo trãquillitatem conciliauit. Diuino timori duo tribuit effecta: sapientiam, quæ intellectum collustrat, atq; in veri electione aberrare non sinit: & iustitiam, quæ diuinæ voluntati satagit obtemperare.*

Est


St ergò perfecta consummatáque fœlicitas Dei donum, in futura vita expectandum, ijs, qui in hac nostra præsenti vita, sacrosanctum illud numen ritè coluerint, timuerintque; à quo quidem Dei timore, tanquam à causa, duo producuntur effecta, sapientia nimirum, atq; iustitia (a quibus, vtpotè à notioribus, disputationem ipsam de diuino timore ordiemur;) quarum hæc, officio suo erga Deum, proximos, & nosmetipsos fungitur; illa, quid sequendum, quid fugiendum sit, docet; cauétque ne in electione bonorum hallucinemur. Quibus duobus summa vniuersæ religionis, pietatísque, ac postremæ fœlicitatis continetur. Et, quia nemo potest iustè, fortiter, temperantérque agere, nisi qui prudentia præditus, quid horum vnumquódque valeat, quæ ratio, quæ via in his sit tenenda, cognitum exploratúmque habuerit,

ag-

ge, de rerum delectu ac prudentia
riori loco disseramus.

Ac primùm quidem mihi bonæ
mæ homini, hac vita præcipuè, stu-
endum videtur; quæ vel præciosis-
mis etiam, maximéque odoriferis
nguentis sit anteferenda; quorum
metsi vsus magnus est, cùm quia
lfactum suauiter afficiunt; tùm
uòd refectis confortatísque spiriti-
us, ad bonam valetudinem pluri-
ùm faciunt; longè tamen infra bo-
am famam subsidunt. Nam, vn-
uenta, vel ab improbis etiam ære
arantur; famam autem, de qua hîc
quimur, vtpotè sola virtute parabi-
m, nisi bonus nemo posidet. Il-
mortale hoc corpus, ad tempus
rtalsis, oblectant; hæc possessoris
i animum, in hac vita, & multo-
um benefactorum conscientia ge-
ientem sustentat, ac recreat; & ne
ost funera quidem conticescens, sed
ominum memoria ac sermonibus
cele-

1. Melius est nomen vnguento bono & dies mortis die natali suo.

celebrata, facit; vt mortui quodam modo viuant: Deinde, prudentis hominis esse statuo, ac Deum timentis; mortem vitæ anteponere, præstabiliorémque ducere diem illum, quo ex hac vita migramus; quàm quo in hanc lucem venimus. Nati siquidem, in calamitatum abyssum, lachrymarúmq; vallem descendimus; morientes verò, & ærumnis malisque omnibus liberamur, & ad veræ miniméque fallacis beatitudinis possessionem accedimus. Ac tametsi stulti, atque improbi mortem, vti malum refugiunt; nihílque peius oderint, quàm mortis cogitationem, mentionemque; libenter tamen sapiens in huius commentatione versatur; vtpotè quæ eum admonet, vt spe atq; animo à caducis istis & fragilibus rebus abducto, ad cœlestia, nunquámque peritura bona quærenda se conferat.

2. Mes 2 Et quoniam haud scio, an alius
ad

ad benè, religiosè, piéque viuendum stimulus esse posſit acrior, quàm assidua mortis recordatio, (quam tamen naturę nostrę vitiositas, ac φιλοψυχία nimis, proh dolor! facilè nobis excutit) operepretium fuerit, huic contrà nitentes, in domum pullatam, ac propter funus aliquod luctus ac mœroris plenam, introire potiùs, quàm interesse conuiuijs, compotationibus, saltationibus, reliquísque id genus voluptatum exercitijs. Nam illic, vel nemine loquente, ipso cadaueris aspectu, ad modestiam, animi demisſionem, sobrietatémq; erudimur; quando cogitamus eandem nobis sortem breui esse subeundam: hîc, voluptatum illecebris inescatus animus, facilè capi se, diuinorúmq; præceptorum obliuionem sinit obrepere.

lius est ire ad domum luctus, quàm ad domum compotationis, in qua est finis omnis hominis, & viuens dabit cordi suo.

3 Quare, etsi hominum vulgus ita comparatum esse scio, vt quæ mœrorem ac tristitiam mouent, quantum in se est fugiant; contráque, ea summo

3. Melior indignatio risu, quia cum tri-

stitia fa-cierum bo-num fit cor.

summo studio consectentur, quibus ad hilaritatem voluptatémque incitari possunt; pronuntiare tamen non dubitabo, potiorem esse tristẽ, mœstum, ac tetricum vultum, quàm faciem blandam, ac risu diffusam, quæ animum voluptate delibutum significet. Nam gaudia ista, quæ ex rebus mundanis capiuntur, sequitur individuus comes, spiritualis mœror; tristitiam verò, vel ex humanarum calamitatum cogitatione, vel ex præteritorum delictorum recordatione, & pœnitentia ortam, cœleste, ac nunquam periturum mentis gaudium excipit. Ingeneratur enim dolor, atque ægritudo quædam, ex interitu ac mortificatione rebellis carnis, veterisque Adami; sed contrà, oboritur diuina quædam lætitia, reuiuiscente spiritu, atque interiore homine in nobis vigente.

4. Cor sa-pientum in

4 Quod animaduertens sapientissimus quisque, ea potiùs sequetur

qu

quæ ei fastidium ac nauseam rerum humanarum moueant, quàm quæ animũ, naturâ alioqui ad ista satis propẽsum, vehementiùs inflãment; & in domum potiùs introibit, quæ luctum ac mœrorem habeat, quàm quę gaudia ac lætos dies agitet; illinc quippe modestior, hinc ferocior abiturus.

domo luctus: & cor stultorum in domo gaudij.

5 Sed nec qui Deum metuit, ac porrò sapientia est præditus, alterius admonitiones obiurgationésq; propter φιλαυτίαν cõtemnet, aut refugiet; quinimò libentiùs patietur sua vitia reprehendi ac castigari, quàm ab adulatoribus virtutes suas prædicari. Assentatorum enim laudes ac præconia, vel cordatiores interdum fastuosos atque arrogantes faciunt. At tempestiua castigatio, tametsi dolorẽ ad tempus inurit, salutem tamẽ, & vitæ morúmq; emendationẽ affert ei, qui admonitorẽ non refugit. Et quẽadmodum cheirurgorũ vstiones sectionésq;, haud inuiti admittimus, qꝑ

5. Melius audire increpationem sapientis, quàm vir audiens canticum stultorum.

eas corpori noſtro profuturas intelli-
gamus; ita & ſapiens acrem, ac pun-
gentem increpationem fortiter ſu-
bit; quòd eam animo ſuo ſalutarem
fore proſpicit.

6. Quia ſicut vox ſpinarum ſub olla, ſic riſus ſtultorum: etiam hoc vanitas.

6 Contrà verò, blandas palponum
voces, vt inutiles, atque adeò perni-
cioſas, amolitur. Quemadmodum
enim ſpinæ, lebeti ſubiectæ accenſæ-
que, tantas edunt crepitationes, vt to-
ta domus modò deflagratura videa-
tur, ac ſonitu ſuo maximam flamma-
rum expectationem cõmouent; ſed
paulò poſt præter fumum, fuligines,
ac vapores nihil dant; ſic & ſtulti a-
dulatores, inani linguæ vocíſque ſtre-
pitu, hominibus aures demulcent; a-
nimos inflant; & ad cœlos laudibus
euehunt; re autem ipſa, nihilo me-
liores præſtantioréſque efficiunt.
Quinimò, vt fumus oculorum per-
ſtringit aciem; ita & animi lumen of-
fuſcat adulatio; quæ virtutem (ſi qua
eſt) verbis ſemper exaggerãs, & vitia
aut

aut attenuans, aut planè diſsimulans, facit, vt maiorem de ſe, quàm par eſt, homo concipiat opinionem: ex qua cum aliorũ contemptu ſui ipſius elatio conſequuta, in omne deinceps vitiorum genus pronum ac præcipitē detrudit. Quare, magno iudicio, ac ſingulari cautione amicum ab adulatore diſcernens ſapiens, illum acerba quidem nonnunquam, ſed ſalutaria monentem, libenter admittet; hunc iucunda quidem, ſed vana & periculoſa ad aurem loquentem, tanquam vanitatis omnis & nequitiæ magiſtrum vitabit.

7 Quemadmodum autem adulatio periculoſa eſt eis, qui adulari alios ſibi patiuntur; ſic & contrà, criminationes, conuitia, & calumniæ, vel ſapientis mentem è ſede ſua dimouent; niſi ad ea omnia fortiter, patienterq; ferenda ac contemnenda, pectus longè antè munitum habuerit; atque illud ſecum reputet, viri boni integritatem,

7. Certè oppreſſio ad inſaniã adigit ſapientem, & perdit cor donum.

tatem, atque innocentiam, non in vulgi rumusculis, ac sermonibus; sed in mente rectè sibi conscia esse positam; quinimò ita fieri solere, vt quo quisq; ex diuino præscripto, sapientiùs, sanctiùs, atque inculpatiùs viuit; eo nomen eius famáque ab improbis ac calumniatoribus, violentiùs impetatur atque oppugnetur. Quæ quidem iniuriæ adeò graues atque atroces videntur, vt, nisi qui præcipuo quodam Dei timore sit præditus, atque vltra humanam hanc prudentiam, diuinum aliquid sapiat, tolerare eas, mentémque quietam retinere nemo possit. Neque verò satis est, verè sapientis, Deúmque timentis, animum ab ictibus calumniarum immotum, illæsúmque manere, nisi parem etiam constantiam, ac fortitudinem ostendat, in contemnendis reijciendísq; muneribus, quæ cùm (vt in iudicijs assolet) oblata semel admittuntur, ac non potiùs ita

seuerè

ſeuerè repelluntur, vt intelligere poſſit corruptor, largitionem iudici ingratam eſſe, vel ſapientiſsimorum etiam animos facilè expugnāt; quippe nefas eſſe ducentes, beneficium à quoquam accipere, cui gratiā non rependant, certè id quod eſt promptiſſimum, quódque vnum à largitoribus expectatur, ſententiam, quo iure quaque iniuria pro eo pronunciant; iudiciúmque omne, ac iuſtitiam peruertunt; vt non viduæ, non pupilli, nō miſerrimi deniq; atq; innocentiſſimi hominis cauſa, apud huiuſmodi iudicem plus valeat, quàm corrumpentis, quantumuis improbi, gratia.

8 Eſt & illud non poſtremæ ſapientiæ, cunctanter maturéq; iudicare de rebus, & negotijs oblatis; neque temerarium, aut præcipitem animum in rebus iudicandis oſtendere. Sæpiùs enim vſu venit, vt finis alicuius negotij melior ſit, atque vtilior ipſo initio. Pleróſq; videas, qui ſimulac

8. Melior finis rei, quàm initium eius: melior longus ſpiritu, quàm elatus ſpiritu.

rei initium arduum, ac laboriosum
inspexerint, parùm considerantes,
quàm vtilis ac iucundus eiusdem exi-
tus sit futurus, statim præ animi im-
patientia ne dicam, an temeritate,
præclarum alioqui negotium abiji-
unt,& imprudentes ad deteriora non
raró se conferunt. A qua temeritate
atque inconstantia longè abest, quis-
quis diuina sapientia præditus, nego-
tiorum factorúmque suorum fœli-
cem atque optatum exitum requirit.
Hanc autem ad rem, nihil potest esse
accommodatius, lento, constanti, to-
leranti, ac laborum patienti animo;
qui cùm sedatè quietéque semel pros-
pexerit, eius rei, quam affectat, exi-
tum fructuosum fore, nulla initio-
rũ difficultate, molestia, aut fastidio,
ab instituto suo abduci se patitur;
longè aliter affectus, quàm hi, qui
superbo atque elato animo, turpe, ac
parùm gnaui ac strenui hominis esse
putant, rebus attentiùs consideratis,
lentos

lentos tardósque earum progressus, atque exitus expectare.

9 Sed nec iracundiam quidem, atque ἀκροχολίαν, minori studio ac cautione vitabit sapiens; vt quæ ex diametro cum sapientia pugnet. Excutit enim rationes omnes, consilium, mentem, intellectum denique eripit; adeò vt à furioso, nisi temporis breuitate, nihil differat, cuius animum iritatio atque ira occupauerit; propriúmque hoc vitium stultorum sit, qui propter animi debilitatem, leuissima quáque re offenduntur; & offensi, ad inanem, viriúmque expertem, vindictæ cupiditatem prorumpunt; vnde nihil aliud consequuntur, quàm vt alijs sint ridiculi, se verò miserè affligant, ac crucient.

9. Ne acceleres in spiritu tuo ad irascendum: quia indignatio in sinu stulti quiescit.

10 Ad hæc, cauebit sapiens, ne præteritorum temporum admiratione, comprobationéque captus, præsens sæculum despiciat, clamitans illa aurea, hæc ferrea esse secula; ne-

10. Ne dicas: Quid fuit, quòd dies priores fuerunt me-

liores his: quia non ex ſapientia poſtulaſti ſuper hoc.

neque huius rei cauſas ſollicitè inquiret, cùm illud conſtet, vnam virtutem fœlicitatis, vitium verò infœlicitatis eſſe cauſam; quę in quęcúnque tandem tempora inciderint: eoſdem ſemper producunt effectus. Exiſtimare autem priſca tempora malorum, noſtra bonorum eſſe expertia, hominis eſt parùm conſideratè de rebus iudicantis. Neque enim oculi ita in mala atque calamitates noſtrorum temporum ſunt defigendi; vt bona cæci prætereamus; neque antiquitatis fœlicitas ita eſt ſuſpicienda, vt non interim meminerimus, & illam viciſsim multis, ac fortaſsis etiam maioribus, quàm nos, tempeſtatibus eſſe cõflictatam. Quemadmodum priſcorum de ſuis temporibus querelæ abundè teſtantur. Quare, qui ſapit, ac Deum timet, putabit (id quod res eſt) in ſua ipſius voluntate ſita eſſe tempora, vt bona vel mala fiant. Nam ſi bene vixerit,

rit, mala ipsi esse non possunt; vt nec vicissim bona, si ipse malè vitam traduxerit.

11 Sapiens quoque diuitias, etsi magnopere non amabit, tamen nec prorsus repudiabit. Nam, tametsi per se bonæ non sunt, (quod eo declaratur, quòd stultis atque improbis copiosam peccandi materiam suppeditant:) tamen, cùm in eum inciderint, qui ijs rectè vti norit, ipso vsu bonæ fiunt; possessoriq; suo non tantùm vitæ necessaria suppeditant; verùmetiam ad iustitiam & liberalitatem exercendam, plurimùm conferunt. Nam & faciliùs ab alienis, atq; iniusto quæstu abstinet, qui ex se abundè habet, vnde viuat; & in amicos probos, miseros, ac egenos, liberalis esse potest; vt taceam, quòd & liberiùs, quæ sentit, eloquitur; & quæ protulerit, faciliùs creduntur; ac propter authoritatem cum potentia coniunctam, citiùs

11. *Bona est sapientia cum hæreditate, & excellentia videntibus solem.*

citiùs executioni mandantur. Cùm contrà, sapientia in pauperis ore ferè sordeat, ac contemnatur; & si quid rectè, vtiliterque cogitârit, adempta perficiendi facultate, infectum atque inchoatum relinquatur; vt non vulgare hominibus bonum existimandæ sint opes, si cum sapientia ac diuino metu copulentur.

12. Quoniam in vmbra sapientiæ, in vmbra argenti: & excellentia scientiæ (est quod) sapienti solet viuificare possidẽtes eam.

12 Nam, quemadmodum sapientia, vmbraculi instar est animo, sub quo tranquillè, quietè, pacatè, compositéque ab omni perturbatione & vitio immunis degat; ita & legitima auri argentíque possessio, eadem illa moderatrice sapiẽtia gubernata, quasi clypeus quidam atque vmbraculum est corpori; ad iniurias inediæ, famis, sitis, frigoris, caloris, aliáque id genus externa incommoda propulsanda. Hoc tamen (vt alia omittam) præstat diuitijs sapientia, quòd vitam tribuit possessori suo. Est enim vera sapientia vita quædam animæ;

sicut

ſicut anima vita eſt corporis. Et quẽadmodum corpus, anima deſtitutum, moriatur neceſſe eſt; ita & anima, ſapientiæ expers, præceps ſæpenumerò in exitium ruit; ſibique vltrò ſtoliditate ſua interitum accerſit.

De altero diuini metus effectu, nempe iuſtitia, tum erga Deũ, tum erga homines, agit.

13 Atque hactenùs quidem de rerum delectu, in quo non eſt minima ſapientiæ portio, quam ex Dei metu, ortum atque originem ſuam habere docuimus; vt potui breuiſsimè, veriſſiméque diſſerui, de laudibus eius atque alijs eius effectis, nonnulla ſuo loco additurus. Nunc de altero illo diuini timoris effectu, iuſtitia nempè, reſtat vt breuiter dicamus. Quæ, quia non homines ſolùm, verùmetiam Deum præcipuè reſpicit; illud inprimis videndum eſt, quomodo nos erga eius maieſtatem gerere conueniat. Non eſt quidem (fateor) indigus

13. Vide facta Dei: quia quis poterit aptare, quod peruertit ipſe?

digus noſtri Deus, (vt qui totus aptus eſt ex ſe, & ex quo vniuerſa pendent, ipſe autem à nullo:) ſed id nihilominus à nobis religioſæ iuſtitiæ officium requirit; vt eum creatorem, patrem, ac benefactorem noſtrum agnoſcamus, benè & religioſe de eo ſentiamus; eius denique iuſtitiam, bonitatem, & in rebus omnibus tum creandis, tum moderandis, ſapientiam ac prouidentiam adoremus, ac veneremur; neque vnquam eò temeritatis, impietatíſque procedamus, vt eorum, quæ ipſe egerit, fecerítue, iniuſtè quicquam aut perperàm factum dicamus. Hac igitur mēte prædītus diuinorū operum contemplator, admirabitur potiùs diuinas actiones; quàm vt aliquid (cuius fortè cauſam propter humani ingenij imbecillitatem non aſſequitur) tentet corrigere, aut gubernandi rationem inſimulet. Agit namque Deus omnia iuſtiſsimè, ſapientiſsiméque;

méque; neque priùs deserit, quàm deseratur; neque priùs punit, quàm irritetur; benignis benignus est; integer integris; purus puris; peruersis verò durum, & rigidum se præbet; ac superborũ, καὶ θεομαχούντων deprimit supercilia. Quos si ipse reijcit, quis eliget? si frangit, quis restituet? si peruertit, quis aptare aggredietur? Profectò, nisi vesanus, ac irreligiosus, nemo.

14 Et his quidem ita in genere propositis, facilè quilibet assentitur. Sed cùm nostra res agitur, ipsi nos pungimur; & aduersis rebus conflictamur; diuinam prouidentiam, aliâs adorandam, proteruè incusamus, atque sugillamus. Quare & illud prouisum atque præmeditatum habere conuenit, Deum tam aduersarum, quàm secundarum rerum esse largitorem, rerúmque vicissitudinis authorem. Vnde si quid ex animi sententia acciderit, vtetur eo quidem

14. In die bona esto in bonum, & in die mala vide: etiam hoc ex aduerso huius fecit Deus: eam ob causam, vt non inueniat post se homo quicquam.

quidem, atque hilari animo fruetur, Deum timens; Deóque pro benignitate sua gratias aget: attamen ita se comparabit, vt qui miserias, ac calamitates iam iámque instantes expectet, quæ cùm mutatis vicibus ingruerint, æquo fortíque animo eas feret, cogitans eas à Deo sibi iusta aliqua atq; idonea de causa immitti. Nam, si quis ad Dei flagella obmurmuret, neque oculos conuertat ad percutientem; sed tantùm considerando causas secundas, ringatur, ipsisq; litem intendat, oblito harum vicissitudinum supremo moderatore; is, cæcitatis suæ atque malitiæ meritas pœnas dabit; cùm contrà, si quis modestè sese gerens, vtriúsque casus authorem Deum esse certò sibi persuaserit, multiplicē ex hoc relaturus sit fructum, ac vtilitatem. Nam & diuinam potentiam, atque in rebus moderandis summā sapientiam, cum pia animi demissione venerabitur;

ac

ac proinde in aduerſis, ſpe meliorum erigetur; in ſecundis, metu deteriorum haud efferetur, & humanæ imbecillitatis, rerúmque incertitudinis memor, totus à Deo pendebit, in eum recumbet, eiúſque conſiliorum euentum patienter expectabit; certò apud ſe ſtatuens, quæcunque ille agit, ceſſura in ipſius gloriam, ſuámque vtilitatem, quàmuis humanus animus ea interdum non capiat, multáque in præſens videantur præpoſtero atque perturbato ordine accidere.

15 Nam & ipſe (vt quæ mihi obſeruanti vidiſſe contigit, commemorem:) ſæpiùs videre memini, toto hoc tempore vaniſsimo, quo ſub ſole vixi, quamplurimos probitatis pietatiſque ſtudioſos, & in Dei metu, ſanctitatiſque exercitijs perſeuerantes, poſt infinitas calamitates, ęrumnas, vitæq; miſerias; poſtremò etiam præmatura morte ſublatos, ijſq; tantum non fraudi fuiſſe ſuam integritatem,

15. Omne hoc vidi in diebus vanitatis meæ. Eſt iuſtus periens in iuſtitia ſua, & eſt impius producens (dies) in

malicia sua.

tem, atque innocentiam, quam si violare voluissent, videbantur pericula euitare, ac dies suos protrahere potuisse; contrà autem, impios vidi, sceleratos, ac facinorosos homines, & in vita prospero rerum successu constãter vti, ac florentes demùm matura decrepitáque ætate decedere, quibus ipsa impietas lucro, & scelus præsidio esse videbatur. Quæ certa ἀνωμαλία, rerúmque (vt mortalibus videtur) perturbatio, vel fortißima pectora commouere poterat; nisi certò sibi persuaderent, istorum omnium authorem esse & administratorem Deum, qui (licèt peruersis nostris iudicijs aliter videatur) sapienter tamen iustéque omnia moderatur, ad eorum salutem & vtilitatem, qui certißima spe in eum recumbentes, se totos eius prouidentiæ committunt, benéq; sentiunt de eius œconomia & gubernandi ratione. Atque hactenus de ea iustitiæ parte, quæ Deũ respiciens,

respiciens, pietatis, religionísque nomine continetur.

De iustitia erga homines.

16 Porrò (quæ altera iustitiæ pars est) in officijs erga homines seruandis, primùm meminisse conuenit Deum timentes, mediocritatem quandam atque ἐπιείκειαν esse adhibendam, ne certam rationem, modúmq; æquitatis & iustitiæ excedendo, in feritatem crudelitatémque degenerent; quod ijs solet contingere, qui nimis rigidè, & ad vnguem exactè τὸ ἀκριβοδίκαιον erga alios seruare conãtur; quippè, iuxta prouerbium, Summum ius, summa iniuria est; periculosiúsque in excessu, quàm in defectu peccatur; quemadmodum & in sapientia, qui nimiùm & vltra sobrietatem volunt sapere, maiora perscrutantes & indagantes, quàm par est; non modò ea non assequuntur; verùmetiam eorum gloria, ac maiestate opprimuntur. Vt enim ad

16. Non eris iustus nimiùm & non sapies supra modum. Ad quid obstupescis.

directum corporis solaris aspectum, vsque eò hæbescit oculorum acies, vt vel ad ea cernenda reddatur inepta, quæ natura, & radiorum beneficio, alioqui commodè videre, ac discernere poterat; ita ingenij mentísque acrimonia, maioribus sublimioribúsque, quàm par est, intenta, non modò se frustra in ijs fatigat; verùmetiam genuinam præstantiam amittit: vt ne minoribus quidem intelligendis postea sit apta.

17. *Non eris impius multùm, & non eris stolidus: ad quid moreris non tempore tuo?*

17 Et quemadmodum modò dixi, à iustitiæ excessu cauendum esse, ita & nunc eiusdem defectum vitandum moneo. Non enim vno modo peccatur, nec cuiuis facile est tenere medium; quin alterum extremorum sollicitè cauentes, in alterum plerique incauti incidunt. Itaque, dum metuunt ne nimiùm iusti, hoc est, ne feroces sint & crudeles; à recta iustitia declinantes, impij, laxi, ac dissoluti plerúnque euadunt: dúmque timent,

timent, ne nimiùm ſapiant, in ſtultitiam proni non rarò feruntur. Quam improbitatem Deus, vitæ ſpatium decurtando, & præmaturam mortem immittendo, ſeuerè vlciſci nonnunquam ſolet.

18 Quid igitur dicat aliquis? Si nimiùm eſſe iuſtum, & ſupra modum ſapientem, non tantùm ſtuporem inducit; ſed etiam periclitari facit; ſi nimia etiam iuſtitiæ & ſapientiæ remiſsio, vertitur in impietatem & ſtultitiam, quæ mortis ſupplicio nõ rarò puniuntur; quò ſe vertent homines? quid agent? cùm neque iuſtitiæ, neque ſapientiæ tutum ſit fidere? Nempe, cui Dei metus ſemper ob oculos obuerſatur, ſcopulos iſtos facilè vtrinq; vitabit; iuſtitiam vna manu, ſapientiam altera apprehẽdens, mediam quandã viam tenebit; diuino metu ita eius greſſus dirigẽte, vt neq; nutet, neq; in alterã partẽ inclinet. Hic enim quaſi filum quoddam eſt, quod

18. Bo- num (eſ- quòd ap- prehend- hoc, & e- am de non dim- tas man- tuam, q- timens um exib- cum om- bus his

qui constanter sequitur, non modò hos, quos diximus, iniustitiæ stultitiæque laqueos euadet; verùmetiam alijs omnibus, quæ in vitam incidunt, præcipitijs ac barathris declinatis, recta tutáque via, ad veram & solidam fœlicitatem perueniet.

19 Et quid satis prædicem vobis, quas quantásque vtilitates habeat diuinus hic metus? qui veræ prudentiæ ac sapientiæ, vti (nuper diximus) parens, hominis animum, tãquam mœnibus quibusdam, adeò cingit munítque; vt nec internis affectibus vehementiùs, quàm par est, commoueatur; nec ab offerentibus sese extrinsecùs periculis, grauius damnum accipiat. Itaque, nullum robur, nulla vis corporis tanta est, quæ mala faciliùs depellat, quàm sapientia; vt ea ciuitas, quæ vel vnum habeat virum sapientem, Deíque metu præditum, cuius consilijs, vigilijs, laboribus, Remp.

Hæc pientia rtificat pientem magis) àm de n poten ,qui fue it in be.

Remp. committat tutior certiórque tum ab intestinis seditionibus, tum ab externis hostibus sit futura; quàm quæ multis robustis, & viribus corporis præpollentibus sit instructa. Vis siquidem consilij expers, ipsa sua mole ac magnitudine corruit; sapientia verò, vel mediocri armata potentia, ciuitates, & regna conseruat; vt quæ non solùm ingruentia mala fortiter depellat; verùmetiam, ne aliquando incidere poßint, cauet ac prospicit. Sed in sapientiæ laudibus infrà (vt promisi) latiùs spaciabor.

20 Nunc iustitiæ officia perlequamur, quæ non superciliosa est, non arrogans, neque summo iure cum proximo agens, sed cum moderatione atque ἐπιεικείᾳ coniuncta. Neque enim est nescius verè iustus, quàm facile sit labi miseris mortalibus, via tã lubrica, & salebrosa incedentibus; quemadmodũ nemo sit in

20. Porrò homo non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccabit.

toto hoc terrarum orbe tam iustus, tam probus, tam denique officiosus, qui numeris omnibus suum munus ita absoluat, vt non aliquando erret, delinquat, peccet. Vnde humanæ imbecillitatis memor, facilè peccantibus ignoscit, lapsos erigit, resipiscentes benignè amplectitur; ita denique errores ac delicta corrigit, vt delinquentibus interim parcatur, eorúmque famæ ac saluti consulatur. Neque enim ex aliorum flagitijs, sed ex sua virtute, rectéque factis, laudem, ac conscientiæ bonitatem, coram Deo & hominibus quærit.

...Etiam ...mnibus ...ermonibus, quos ...quentur, ...on dabis ...or tuum: ...uòd non ...udies seruum tuum

21 Neque verò in ijs duntaxat iniurijs, quæ alijs inferuntur, hanc (quam dixi) iustitiæ moderationem adhibebit; sed multò etiam maiorem in propria causa, ἐπιεικείας ac mansuetudinis significationem dabit: maledicentes ac conuitium sibi facientes, non modò non acriùs incesset, aut extremam vindictam exposcet;

poſcet; ſed diſsimulabit etiam, multáque adeò ſurda aure præteribit; illud cogitans, virtutem ſuam maledicorum procacitate eripi non poſſe; & perſequendis iniurijs ſingulis, animi tranquillitatem non rarò amitti. Itaque, ne eorum quidem ſermones admittet, qui ſiniſtros hominum de ſe rumores, amicitiæ atque officij ſimulatione, deferant. Alioqui, ſæpiùs quàm velit, vel domeſticorum etiam ſeruorum, atque ancillarum ſuſurros, & obtrectationes audire cogetur illi maledicentium, ipſiúſque vitam & probitatem arrodentium. *maledicentem tibi.*

22 Ad hanc verò animi lenitatem ac patientiam, vel hoc hortabitur ſapientem; quòd vel ipſe ſibi conſcius ſit, ſe in ſocios atque æquales ſuos, interdum obtrectando conuitiandóq; iniurium fuiſſe; ac proinde non eſſe ſuæ ſapientiæ ac æquitatis, ea in alijs ferre, aut nolle, aut non poſſe, quæ alijs ſæpè in ſe fuerint ferenda; eámque *22. Quia etiam vicibus multis nouit cor tuum, quòd etiam tu male dixisti ſacijs.*

que virtutis consummationem in alijs requirere, quam ipse asse qui non potuerit.

De eo iustitiæ officio, quo fœminea errata corriguntur.

23. *Omne hoc tentaui in sapientia: dixi, Sapiam: & ipsa elongata est à me.*

23 Atq; hæc de eo iustitiæ munere dicta sint, quo viri, in virorũ erratis, ferendis, corrigendis, castigandísq; funguntur. Nunc, si qua arte mulierum ingenia tractari, ac cicurari possint, (rem sanè arduam atque difficilem) videamus; quando ijs in vita nostra, rebúsque domesticis administrandis, plurimùm vtimur. Ac mihi quidem totum hoc tentanti, viámq; & rationem perquirenti, qua commodissimè sapientissiméq;, versatile hoc & inconstans fœminarum genus, ad meliorem mentem, frugémq; reducerem; perplexa, atque adeò inexplicabilis res visa est; in quam quò me altiùs profundiúsq; demisi, tantò minùs

minus in ea me proficere animaduerti; quantóque propiùs ad eius rei cognitionem accedere mihi videbar, tantò longiùs (tergiuersante quasi sapientia) ab ea me abesse deprehendi. Quis enim leges præscribat, aut vitæ rationem statuat, tam varijs, támque obscuris ingenijs? Quis tam petulanti, tam lasciuo, atque omni modo corrupto sexui medeatur?

24 Abstrusius sane hoc est, atque altiùs demersum, quàm vt vllo labore erui, aut vlla quantumuis diligenti, sapientíque inuestigatione inueniri posßit.

25 Neque verò me quis existimet, in huius rei perscrutatione segnem, aut supinum fuisse; siquidem illud confirmare possum, me non maiori labore atq; industria, rerum omnium cognitionem sapientiámq;, cuius initio memini, & in quo corporis, animique succum ac sanguinem penè exhausi, peruestigâsse, vt non tantundem

24. Elongatum quàm fuit, & profundum profundum, quis inueniet illud? 25. Circuiui ego, & cor meum ad sciendum & ad vestigandum & quærendum sapientiam, & supputationem, & ad sciendum impietatẽ & stoliditatem, & stultitiam insaniarũ.

dem operæ, curæ, atque studij posue-
rim, in cognoscenda stultorum im-
probitate, & væsanorum insania.

26. Et inuenio ego amaram præ morte mulierem: quæ est cassis, & nassa cor eius, vincula manus eius: bonus ante Deũ liberabitur ab ea, & peccator capietur ea.

26 Et tamen illud apertè profiteor,
reperisse me, me (inquam) qui plus-
quam decem centurias mulierum tra-
ctandas habui, nihil fieri posse fœmi-
na acerbius; quæ ne morti quidem
ipsi, quæ mortalibus acerbissima iu-
dicatur, asperitate atq; amarulentia
cedit; cuius mens subdola versutáq;,
orationis blanditijs lenocinijsque te-
cta, vbi leniter in virorum animos se-
mel influxerit, ita sibi totos manci-
pat, vt tanquam laqueis quibusdam
ac retibus implicati, inde se extricare
nequeant; & (quod magis mirere)
ne velint quidem, tanta est huius
philtri vis atque efficacia. Si aspexe-
rit, virus suum atque venenum, vel
ad imas ossium medullas, basilisci in-
star, eminùs transmittit; si corpus
amplexetur, firmioribus, quàm ada-
mantinis vinculis, ipsum simul ani-
mum

uma constrictum tenet . Denique,
ens eius casses sunt, & manus vin-
la, quæ nemo nisi Dei timens eua-
t. Solus enim Deus nos potest ex
oc barathro eximere, qui nullos, ni-
suos cultores, pios, & religiosos, ab
iusmodi calamitatibus arcere, &
ult, & solet; impios verò, & scele-
tos, in hanc foueam sinit incidere,
iimprobitatis suæ, atque impieta-
meritas pœnas luant.

7 Neque verò (ita me Deus a- *27. Vide: hoc inueni, dixit concionator, vnam ad vnam ad inueniendum numerum.*
et) hæc sexus odio à me dicun-
r, aut quasi earum ingenia mihi
nim essent cognita. Ipse enim te-
or, ipse (inquam) concionator,
uinæque sapientiæ præco, & ve-
fœlicitatis præmonstrator, pro-
eor, me sedulò in explorandis vel
gularum etiam mulierum inge-
is elaborâsse, si quas fortè pruden-
s ac sapientes, ex vniuerso sexu in-
nire possem, quæ sanas admoni-
ones, salutarésque castigationes ad-
missuræ

missuræ viderentur.

28. Quod amplius quæsiuit anima mea, & non inueni: virum vnum de mille inueni, & mulierem in omnibus istis non inueni.

28 Sed (proh dolor!) quanto id m
gis, studiosiúsque quæsiui; tanto m
nùs minúsque adeò contigit repe
re. Et virum quidem, qui certè vi
hoc est, virtute præditus esset, ex mi
le fortassis vnum atque alterum i
ueni; mulierem verò cordatam, t
ctabilem, quæque se viraginem, h
est ex viro desumptã, vti nomine,
& re declararet, ex vniuerso fœm
narum genere, ne vnam quidem i
ueni.

29. Tantum vide, hoc inueni, quòd fecit Deus hominem rectũ: & ipsi quæsierunt cogitationes multas.

29 Non quòd humani gene
creator Deus, huius peruersitatis a
thor, causáque extiterit. Absit (
quam) vt de Deo optimo & clem
tissimo tam impiè cogitemus. Fe
námque ille, quæcunque fecit, bo
& quidem valdè bona; nec in om
bus aspectabilibus ab eo conditi
quicquam homine absolutius, m
lius, aut præstantius creâsse depre
do. Impressit enim ei imaginem

n;hoc est, immortalitate, sapientia, *gitationes*
stitia, sanctitate, omni denique vir- *multas.*
tum genere cumulauit; sed astu ve-
ris illius serpentis, & aduersarij no-
iatque veteratoris, Satanæ, mulier
imùm in fraudem inducta est, vt
c tam fœlici statu nō contenta, vl-
creatorem suum vellet sapere, bo-
; ac mali, à Deo sibi vetitam, sci-
tiam affectaret; quæ porrò iam in
tanæ schola instituta, maritum ad
mi esum impulit; vnde miseranda
lamitas subsequuta est, quæ dein-
ps ad omnem posteritatem sese
opagauit. Hinc est, quòd Adami
oles, spreta diuina ac cęlesti, sapien
mundanā sectetur; fugiens lucem,
rat tenebras; relicta lege diui-
, suis cogitationibus, atque vanis
culationibus indulgeat; hinc de-
; totum illud malorum examen,
od in vitam nostram inuectum,
nitis eam calamitatibus, miserijs,
ue ærumnis inuoluit. Ex quibus
ta-

tamen vnica ſeſe expediendi ra
reſtat; nempe, diuini numinis metu
quo qui prædictus eſt, in tantis temp
ſtatibus ſolus non commouebitu
ſolus diuino ſpiritu actus, plenis v
lis in optatum ęternę fœlicitatis po
tum deferetur.

CAP. VIII.

1. Quis vt ſapiens, ecce quis noſcens expoſitionem verbi? Sapientia hominis lucere facit faciem eius, & robur faciei ſua commutatur.



VIſquis igitur hoc tã eg
gio & ſingulari dono f
rit ornatus, diuináq;
ſapientia, quæ ſolius D
beneficio cõfertur, præditus; eo q
melius, quid præſtãtius inueniri p
ſit, non reperio. Incomparabilis p
fectò hic theſaurus, cum quo reli
omnia, quãtumuis prętioſa, coll
pro nihilo habẽda videantur. N
prętcrquã quòd naturæ arcana; q
rerum cauſas, principia, progre
exitus nouit; quòd totius vitæ v

ac rationem prouiſam exploratámq;
habeat; quòd denique conſilio, au-
thoritate, ſententia polleat, quæ ſe-
cundis rebus ornamento, aduerſis
cùm ipſi, tùm alijs præſidio eſſe poſ-
ſunt; inſuper, cœleſtis diſciplinæ ſciē-
tia imbutus, Deíque ſpiritu colluſtra
tus, diuinæ legis mentem, ac volun-
tatem, cùm ipſe intelligit, tum alijs
eam fideliter explicat ac tradit, viám-
que ad æternam fœlicitatem com-
monſtrat. Denique, ab eius ore, vt à
Dei vate, oracula petuntur; & tan-
quam numē aliquod omnibus vene-
rabile, in terra degit; cuius etiam vul-
tus maieſtatis plenus, ſapientiam lo-
quitur; & cùm reuerentiam quādam
hominum animis indit, tum certam
ſpem auxiliúmq; intuentibus polli-
cetur. Tanta quippe eſt huius inter-
næ lucis vis atq; energeia, vt intùs la-
tere non poſsit; ſed vndiquaq; foras
erumpens, in ore, oculis, nutu, ha-
bitu, geſtúque corporis; in dictis fa-

ctiſque

ctísque omnibus sese apperiat, atque ostendat; frontis denique ipsius serenitas, & candor, omnem immanitatem, feritatem, impudentiam, pertinaciam, morositatem, reliquámque vitiorum prauorúmque affectuum turbam, procul ex animo eius abactam, & profligatam arguat.

Redit ad officia iustitiæ erga homines, déque obedientia erga magistratus præcipit.

2, Ego dico (dico) os Regis custodi, & super negotio iuris iurandi Dei.

2 Sed quid ego sapientiæ laudibus decantandis immorar? Quæ quantæ sunt, vsu potiùs, quàm verbis percipi potest; & alibi fortassis sese offeret opportunior eam ornãdi locus; quare ad secundum diuini timoris effectum, iustitiam nempè, redeamus. In qua illud inter alia permagni referre arbitror, quemadmodum se inferiores erga superiores, subditi erga magistratus suos, principes ac reges erga subditos se gerant: siquidem non modò benè imperando, sed nescio an

multò

multò etiam magis benè parendo, & vniuersæ Reip., & singulorum fœlicitas perficiatur. Meminerit ergo diuini metus studiosus, si subditus sit, os regis diligenter obseruare: id est, edicta eius, mandata, imperata, pro viribus exequi, eius denique mores, atque ingenium, quatenus diuinæ voluntati non repugnat, legem putare: non tantùm quia periculosum sit & capitale, contra eius mentem, aut edicta facere; verumetiam quia ipsa Dei lex, atque adeò conscientia nostra, nos principum obedientiæ obstringit; quippè qui à Deo constituti sunt, ad conseruationem bonorum, castigationémque improborum, ipsiúsque personam in terris sustinent; vnde & dij à sanctis vatibus, ac nominatim à parente meo, pię memoriæ, Dauide appellantur; vt non impunè apud Dei tribunal sit futurum, eorum se imperio opposuisse, maximè cùm vniuer-

ſus populus ſancto iureiurando eorum obedientiæ ſeſe obſtrinxerit, vt citra periurium, ac ſacroſancti nominis diuini violationem, reſiſtere eis non poſsis.

3. Non accelerabis à facie ipſius, vt eas, neque perſtabis in re mala: quia omne quod deſiderabit, faciet.

3 Neque enim eſt quòd ſpe effugiendi conſpectum eius atque potentiam, liberiùs in eum delinquas; non eſt huiuſmodi, vt ei temerè poſsis illudere, aut cuius manibus (vbi velis) elabaris. Longè enim latèque patet regum potentia, neq; vllum aſylum adeò eſt ſanctum, aut vllum refugium ita certum ac munitum, quod te ab eius furore, atque indignatione vindicare poſsit. Caue igitur quicquam pecces, regíſque animum aduerſum te irrites, aut alienum reddas: Nam ſi animo eius collibitum fuerit te è medio tollere, actum eſt, periſti; poteſt enim in regno ſuo, quod vult.

4. In cuius verbo Regis poteſtas

4 Nec citiùs præceperit, quin ſtatim miniſtri eius ac ſatellites exequantur, & dictum factum reddant, nihil

nihil quærentes, cur, quamobrem, aut quo iure, quid præcipiat; ſed quodcúnque tandem imperârit, id ſibi iam iámque exequendum ſtatuunt; vt ne ijs quidem, quæ furioſè, atque iracundè præcepta eſſe intelligunt, abſtineant, aut moram vllam interponant. Adeò coniuncta eſt cum regum voluntate, ac dictis ſumma poteſtas; nec, ſi vel iniuſtiſsimè faciat, quiſquam fuerit, qui ab eo facti rationem quærat.

(eſt) ecquis dicet ei, Quid facies?

5 Quare, qui ſibi, qui vitæ, qui tranquillitati ſuæ conſultum cupit, caueat etiam atque etiam principem offẽdat; ſed ad vnguem mandata eius ſeruet. Nam qui dicto ſunt audientes, hi principũ beneuolentia, tanquam vallo cincti, & ſuppliciorum pœnarúmque metu vacant; & bonis ſibi diuinitùs conceſsis, tutò ſecuréque fruuntur. Sunt enim magiſtratus, (vti dictum eſt) in hoc à Deo conſtituti, vt bonorum tueantur innocentiam,

5. Cuſtodiens præceptum non experitur rem malam, & tempus & iudicium nouit cor ſapientis.

tiam, improborũ verò coërceant audaciam. Neque verò hæc eò à me dicuntur, quòd quæcunque rex præceperit, iusta sunt illa, an iniusta, absolutè facienda existimem; (hîc enim valet, Deo obediendum esse magis, quam hominibus) sed illuc dico debere sapientem, exploratas habere omnes obsequendi, obtemperandiq; iustas occasiones, prudentérque temporum opportunitates discernere, ne importunè resistendo regijs edictis exitium sibi accersat, & Reip. statum labefactet.

6. Enim vero omni rei est tempus & iudicium, quamuis malitia hominis multa super eum.

6 Est enim, vt suprà dixi, omnibus rebus, actionibus, atque consilijs suum tempus opportunum, idoneáque tempestiuitas, quam qui sapit imprimis obseruat: qui verò negligit, ad infinitas molestias ac miserias, quibus humanum genus alioqui est obnoxium, multa sibi incommoda, maláque vltrò accersit, cùm reliquis

in

in rebus omnibus, tum in ijs potissimum, quæ ad principum obedientiam pertinet, inquam qui deliquerit, tametsi παρ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα non puniatur, sed pœna in longum tempus differatur; nihilominus eam semel subeundam sibi intelligit, aut principe iniuriam in hac vita vlciscente, aut Deo in posterum scelus puniente.

7 Quod quia nescit quando futurum sit, aut quid contrà eum princeps, quid Deus meditetur; (quis enim ei futura pericula, quis temporum articulos prædicat?) necesse est, conscientia & pœnæ metu exagitatum, morte acerbiorem vitam trahere.

7. Quia non est noscens id quod erit, nam sicut erit quis indicabit illi?

8 Neque verò hæc eò spectant, vt principes ac magistratus, aduersus subditos tyrannide armem, quasi summa ipsis sit, & absoluta, quiduis in quosuis statuendi potestas.

8, Non est homo dominans in spiritum, ad prohibendum

Quinimmo cum homines sint,

 finitam,

ſpiritum, & non eſt dominatus in diem mortis, & non eſt miſſile in prælium, & non liberabit impietas poſſidentes eam.

finitam ac circumſcriptam eſſe ſuam potentiam agnoſcant, neceſſe eſt: multáque eſſe, quæ fragilitatis ſuæ atque impotentiæ commonefaciant, intráq; modeſtiæ, & humanitatis limites redigant. Quis enim eſt, quamlibet potens monarcha, qui vel ventum, rem ſanè leuiſsimam, aut cohibere poſsit, aut (inquam) orbis plagam velit flectere? Quis eſt eorum omninò, qui mortem mortalibus omnibus communem, vbi ſemel ingruerit, queat propellere? Quis tela, quæ in acie, grandinis inſtar, confertim irruunt, ab regis corpore auertat; aut certam ei victoriam, hoſti fugam, cladémque polliceatur? Profectò nemo. Quare ita ſe gerat erga ſubditos ſuos princeps, vt qui ſe quoque norit, regum regi ſubiectum eſſe; à cuius vindice manu non eum eripiet humana potentia, ſi ſolium ſuum impietate, iniuſtitia, crudelitate cōtaminârit. Quod (proh dolor!)

testari

testari possum, nimis nimísque frequenter vsu venire.

Quia in mutuis officijs magistratuum erga subditos, & subditorum erga magistratus, sæpius incidere solent multa errata, quæ infirmiores offendunt: Solomon tempestiua atque vtili digressione de diuina prouidentia atque cœlestis iustitiæ œconomia hîc disserit: vt huiuscemodi offendiculis medeatur.

9 Nam consideranti mihi quæcúnque sub sole fiunt, & res humanas diligenter obseruanti, & illud videre contigit; imperia, quæ ad hominum vtilitatem diuinitùs constituta sunt, ad eorundem ferè perniciém exitiúmque administrari: dum reges non eorum, quibus præsunt, commodis (vti conueniebat) student; sed ad suas duntaxat voluptates, atque libidines omnia referentes, commune bonum non modò negligunt; verùm etiam subditos suos bonis, libertate, vita denique spoliant, quo suam rem augeant,

9. Omne hoc vidi, & dando cor meum omni facto, quod fit sub sole, (est) tempus quo dominatur homo homini, in malum suum.

augeant, tyrannidémque non ra- rò cum sua ipsorum pernicie stabi- lant.

10. *Et sic vidi impios, sepultos & venerunt: & è loco sanctitatis iverunt, & obliuioni traditi sunt in vrbe: in qua rectum fecerunt. Etiam hoc vanitas est.*

10 Quorum vita & si talis fuit, vt non Deo magis, quàm hominibus meritò inuisa esse debuerit; tamen animaduerto, eam esse populi vel imperitiam, vel insaniam, vt huiusmodi tyrannos, quos viuos metuerunt, oderunt, atque extinctos voluerunt: eosdem mortuos venerentur, colant, ac tantum non pro dijs adorent: & qui ne terræ quidem gremio excipi merebantur, ijs ἐπιτάφια conscribant, honores habeant, ludos faciant, statuas erigant, ac modò non impios cineres in vitam reuocent; dum eorum filios, (malorum profectò coruorum mala oua) in solium paternum collocant, quasi parum sit, quòd à parente sint exhausti, nisi etiã ab infœlici prole pœnitùs conterantur. Contrà verò pij iustíque principes, quorum perpetuam esse, & sanctam

dam memoriam conueniebat, vix
sito concesserunt, cùm statim obli-
uioni traduntur, & perinde quasi om-
ninò non fuissent, ita de ijs tacetur.
Quin & in hac ipsa ciuitate Hieroso
lymitana, quæ vt Dei cultui est desti-
nata, ita & religiosissimè bonorum
principum memoriam celebrare de-
bebat, non rarò optimè de se meritos
magistratus, qui sapienter, iustè, vti-
litérque Remp. administrarunt, de-
functos, neglectos esse, breuíque in
obliuionem venisse animaduerto.
Tanta est hominum ingratitudo,
malitia, atque vanitas.

11 Quæ quidẽ præpostera vtrorúm-
que agendi ratio, ex duplici fonte mi-
hi potissimùm oriri videtur. Primũ
ex eo, ꝗ de œconomia diuinæ iusti-
tię, déq; eius longanimitate, qua erga
peccatores vtitur, malè iudicantes ho
mines, cùm animaduertũt impios is-
tos & tyrannos non statim ipso facto
à Deo puniri; hinc liberiùs peccandi

11. Quia non fit sententia facti mali statim: propterea impletur cor filiorum hominum in illis ad facendum malum.

occasionem sumunt: tutum ducentes eorum insistere vestigijs, quos ob flagitia sua non modò pœnas nullas dedisse; verùmetiam bonis omnibus in hac vita circumfluxisse, vident. Cùm si vel tantillum res diuinas saperent, hoc ipso ad resipiscentiam, pietatem, probitatémque inuitari debebant; illud cogitantes: Deum non neglectu rerum humanarum, aut impotentia, pati improbos impunè grassari; sed opportunitatem corrigendi homines obseruantem, supplicia (pro immensa sua bonitate & clementia) tantisper differre, dum aut resipiscentibus inflicta prosint, aut alijs exemplo esse queant.

12. *Quamuis peccator facit malum centies, & producitur ei: nihilominus*

12 Et quanquam Deo, pro sua infinita sapientia ita moderante, ferè videmus impijs in hac vita ad voluntatem fluere omnia; atque eorum scelera, quamuis horrenda, & millies iterata, adeò non obstare, quo minùs prospe-

prosperè agant, ac in longum etiam tempus vitam protrahant, vt etiam prosperitatis eorum causa esse videãtur: non est tamen, quòd hinc aut principes liberiùs, crudeliúsq; grassandi; aut subditi de diuina prouidentia malè sentiendi, ac porrò in peccatis pergendi causam arripiant. Illud enim planissimè confido, adeóque certò scio, religioso & Deum timẽti non posse non benè esse; qui licèt vel in abysso sit miseriarum; tamen conscientiæ bonitate, Deíque erga se prouidentia fretus, non modò quosuis casus fortiter fert; verùmetiam vtiles sibi, ac veræ virtutis & patientiæ stimulos esse intelligens, in certam spem coronæ cœlestis, æternæq; fœlicitatis erigitur, quam ex Dei promisso, absque dubio, tandem consequetur.

certò noui ego, quòd bonum erit timentibus Deum: qui timebunt à facie eius.

13 Contrà verò impios, immorigeros, ac refractarios, vt illis in hac vita omnia optimè cedere videantur, infœli-

13. Bonũ tamen non erit impio, & non producet dies,

sicut vmbra (erit) quia non metuit à facie Dei.

infœlicissimum tamen exitum na-ćturos. Nam licet vitæ diuturnitate, vel cum cornicibus ipsis videantur posse contendere, nulla tamẽ est tàm longa annorum series, nullum spatium temporis tàm diuturnum, vt non vmbræ aut fumi instar, eorum vita euanuisse meritò sit existimanda. Etenim tempus, quamlibet longum, cúm semel effluxerit, metámque suam attigerit, breue est; vel potiùs nullum. Tum etiam extremus temporis articulus omnem anteactæ vitæ voluptatem, & memoriam penitus tollit; earúmque rerum tantùm sensus relinquitur, quæ præsentes sunt. Quæ quia improbis & sceleratis, ex conscientia maleficiorum formidinis terrorisq; sunt plenæ; & sub vitæ exitum (quo vniuscuiusq; fœlicitatem metimur) desperabundi, miserè conflictantur; & vita defuncti æternius cruciatibus ac supplicijs adiudicantur. Vt interim taceam, quò

ne i

ne in illo quidem (vti existimatur) fortunatissimo vitæ cursu, (exagitante eos scelerum conscientia) benè ipsis esse potuerit.

14 Altera causa istius insaniæ cùm principum, tùm populorum est; quòd animaduertunt bonos atque innocentes, ijs sæpe conflictari aduersitatibus, quibus malos ac nocentes affici æquius videbatur, contráque improbos ac sceleratos, ea referre præmia, quæ pijs ac religiosis hominibus iure debebantur; res sanè, humana opinione, vanissima atque absurdissima; sed adoranda potiùs, quam penitius vestigāda. Nam vt nos eius rei causas ignoremus, Deo tamen, qui iniustè nescit facere, suæ constant iustissimæ verissimæque rationes; in quas qui curiosiùs inquirit, vanitatis temeritatísque repræhensione profectò non caret; cuius etiam dignas pœnas luit, dum animum frustrà fatigans cruciatur;

14. Est vanitas, quæ fit super terram; quod sunt iusti quibus accidit super eos sunt facta impiorum; & sunt impij quibus obuenit sic per eos sicut facta iustorum. Dixi quod hoc etiam, vanitas.

&

& non raro in blasphemias fortiter vindicandas, impotenter prorumpit.

15. Ideo laudaui ego gaudiũ: quia nõ est bonum homini sub sole, nisi comedere et bibere et gaudere, et hoc accedet ei in labore suo diebus vitæ suæ, quã dedit ei Deus sub sole.

15 Quare melius, meo consilio sæpiùs iam repetito, fecerit; qui relicta laboriosa ista, odiosáque rerum arcanarum inquisitione, ijs bonis, vitæq; commoditatibus, quæ in nos Deus contulit, grato, hilari, ac iucundo animo vtatur, fruatur; & his, quæ labore suo atque industria parârit, vescatur modicè, & cum gratiarum actione. Quo nihil videtur homini à Deo præstantius in hac vita datum, animo scilicet, curis & anxietatibus vacuo; qui mediocri sua sorte contentus, præsentibus rebus benè vti nouit; nec in ea, quæ Deus eum celare voluit, curiosiùs inquirit.

16. Cùm dedi cor meum ad sciendum sapientiam & videns

16 Hoc ita esse, ipse experiendo comperi; quippè qui mundanæ scientiæ sapientiæque fuerim studiosissimus, in eáque tantum operę posuerim, quantum alius nemo; atque in-

ter alia cognitione mea quoque dignum putârim, nosse quidnam illud esset, quòd se vltrò homines curis, cogitationibus, atque anxietatibus ita cruciarent; vt nec nocte quidem quieti dedicata, somnum capere possent; deprehẽdi hanc vnam esse tantorum malorum causam, quòd ea nosse, & consequi vellent, ad quæ homini fas non esset pertingere.

17 Nam cùm Dei opera, non solùm multitudine infinita, verùmetiam ex occultis atque abditis causis, & principijs conflata, inexplicabili quadam difficultate sint inuoluta; fit, vt eorum cognoscendorum desiderio ardens animus, quæ humani ingenij capacitatem fugiunt, mirificè torqueatur; eóque magis inflammetur cognoscendi ista cupiditas, quanto longiùs in ea progressus homo sibi persuadet, à metu propiùs abesse; ac modò nõ digito mox posse attingere, quæ infinitis adhuc pa-

rasangis

dum occupationem, quæ fit super terram, quia etiam die & nocte somnum in oculis illius non videt.

17. Tunc vidi omne factum dei quia non poterit homo inuenire factorum, quod fit sub sole, in quo qui laborabit homo ad quærendum, & non inueniet, et etiã

iam si dicet sapiam, potero cognoscere non poterit inuenire.

rasangis distant: quæque nullo vnquam labore, nullis vigilijs consequitur. Vnde incredibilis animi cruciatus sequatur necesse est.

CAP. IX.

1. Certè omni huic dedi cor meum, & ad vestigandum omne hoc, quod iusti illi, & sapientes illi, & opera eorum in manu Dei: etiam amorem, etiam odium non noscit homo: vtrunque coram eis.



Ed ostenso curiositatis remedio, eò redeamus, vnde aliquãtum digressi sumus. Dico me sæpe multúmque animo agitasse, quænam esset inter bonos ac malos, in hac vita conditionis distantia; quando manifestè illud videmus, aduersas res & secundas, tàm probis quàm improbis promiscuè contingere. Quamobrem sic primum statuo, eos, qui iustè, piè, ac sapienter se gerunt, non posse non hoc ipso Deo gratos, acceptósque esse, ac porrò eorum facta, negotia, bona, vitam denique ei esse quàm commendatißima, quæ quidem res pijs omnibus ita persuasa esse debet, vt li-

cet omnib. vndiq; premãtur miſerijs, duriſsimiſque caſibus exerceãtur, intelligant ſe nihilominùs Deo charos eſſe, qui de eorũ rebus, vt de proprijs diſponens, ad ſalutem ijs vertit omnia. Deinde, certò ſtatuant, nõ poſſe non Deo eſſe inuiſos, qui impiè ac ſceleratè agunt; etſi omnibus vndiq; bonis circumfluant. Eſt enim Deus ipſe ſummè bonus, conſtans, bonorum amator, oſórq; improborũ; nec tamen propterea quem diligit, non affligit; aut quem odit, benignitatis ſuæ expertem eſſe vult. Vt hac quidẽ in parte iniquiſsimus omninò ſit rerum æſtimator, qui ex euentis Dei amorẽ, aut odium, vel erga ſe, vel erga alios metiens, eos Deo charos pronunciat, quibus in hac vita benè eſt; & contrà, inuiſos, quibus eſt malè.

2 Nam, ſi variam hanc vitæ fabu- *2. Omne*
lam, tantíſque mutationibus obno- *ſicut quod*
xiam contemplemur; vt inde argu- *omnibus:*
menta ducamus, benè aut ſiniſtrè *euentus*

O ſentien-

vnus iuſto & impio: bono, puro, & impuro: & ſacrificanti, & ei qui non ſacrificat: ſicut bonus, ſic peccator: iurans, ſicut qui iuſiurandum timet.

ſentiendi de Dei amicitia, aut inimicitia erga nos; iam planè de animi noſtri tranquillitate fuerit conclamatum, cùm in hoc mundo, nihil admodum diſcriminis appareat, inter Dei amicos, aut inimicos. Si quidem idem eſt euentus iuſti & iniuſti, boni ac impij, puríque & impuri, ijſdem periculis obnoxij, qui fide præditi, Deo ſacrificia offerunt, quibus hi, qui diuina præcepta contemnentes, nunquam litant. Denique, eadem eſt boni atque improbi, periuri & periurium deteſtantis conditio.

3. Hoc malum, in omne quod fit ſub ſole: quia euentus vnus omnibus: & etiam cor filiorum hominum im-

3 Quæ certè res (vti ſuprà à nobis dictum eſt) humanis ingenijs ita dura eſt, & moleſta; vt in vitam nihil durius videatur poſſe incidere. Hinc enim vel piorum animi, nondum in doctrina, de Dei prouidentia, benè confirmati, non medioc iter labefactantur; & impij, tàm principes, quã priuati, ferociùs graſſandi, liberiúſq; peccandi, & inſaniendi, in hac vita occa-

occaſionem ſumunt; quaſi operam ludant rectè agentes; dum virtutem vitijs non modò non vtiliorem; verùm etiam iniurijs, & calamitatibus magis expoſitam arbitrantur. Quippè quæ ante pedes ſunt modò videntes; belluarum ritu præſentibus mouentur, parùm admodum de futuris ſoliciti; neque pœnam proſpiciunt, quæ claudo pede antecedentem ſcelestum inſequens non deſerit; quoad tandem in morte comprehenſum, in ima tartara præcipitet, & æternis cruciatibus affligat. Sed de his impij (vti dixi) ſecuri, iudicãtes animas ſimul cùm corporibus extingui, omne id ſibi vitæ tempus perijſſe putant, quod non inſanis ſuis voluptatibus ac libidinibus impenderint.

pletur ma-lo, & inſa-nia in cor-de illorum in vita il-lorum, & nouiſſi-mum vni-uſcuiuſque ad mor-tuos.

Impiorum oratio per Proſopopœiam, de qua Sap. 2.

4 Quid enim (inquit) mortuis ſuperit, quando ſenſu omni ſublato, etiam ſpes omnis boni tollitur? Enim

4. Quo-niam (ei) qui aſſo-

iatur ad omnes viuentes, est spes: quia canis viuus est melior leone mortuo.

verò, dum datur hac aura frui, quin age, religione & metu soluti viuamus, atque amemus. Quodsi dura maláque sunt tempora, non est quòd propterea animum abijcientes, mortem optemus, cui quantumlibet etiam misera vita est anteponenda. Nam, si nunc est malè, non & olim sic erit, modò liceat viuere? meliora speranda sunt, at miseris non est spes vlla sepultis. Equidem leoni mortuo, vel canem viuum prætulerim; & potentissimum, locupletissimum, adde etiam sapientissimum defunctum, viuenti egeno quantumuis improbo luce modò hac fruenti, posthabuero.

5. Quoniam viuentes noscunt quòd morientur: at mortui non noscũt quicquam,

5 Nam viuentes, qui se aliquando morituros certò sciunt, tanto studiosiùs acriúsque voluptatibus incumbunt; quanto sibi minus vitæ restare intelligunt; vitæque & inuidæ naturæ breuitatem, voluptatum pensant vbertate & copia. Edunt, bibunt, cantant, saltant, amoribus indulgent;

gent; rerum earum, quæ in vita fiunt, cognitione oblectantur. At mortui horum omnium sunt expertes, qui sublato in vniuersum sensu, ne hoc quidem habent, vt scire possint, hæc esse in rerũ natura, non magis quàm lapis aliquis, aut truncus inutilis, quibus nec illud quidem vel tantillum prodest, quòd in vita pietatis religionísque studiosi, voluptatibus sibi interdixerint, séque virtutibus consecrârint; quin potiùs hac in parte reliquis infœliciores sunt iudicandi, quòd ne illis quidem bonis, quibus in vita perfrui licebat, sunt vsi; & defuncti, eadem penitùs sorte cum impijs, in perpetuam obliuionem veniant, nec mercedem vllam solicitæ suæ ac laboriosæ pietatis reportent.

& non est vltra illis merces: quia obliuioni tradita est memoria illorum.

6 Non est, qui eorum virtutem apud inferos admiretur; non est, qui de beneficio eos amet, & diligat, aut quẽ ipsi vicissim amore aut beneuolentia prosequãtur; sed odio, amore,

6. Etiam amores eorũ, etiam odia eorum, etiam inui

dia eorum iam perijt; & portio non est illis vltra in sæculum, in omni quod fit sub sole.

æmulatione, omni denique affectu spoliati, nihil penitùs commune, nihil commercij cum viuentibus habent; sed nec viuentes quidem cum illis, quibus si maximè cupiant, ne possint quidem de suis bonis quicquam transmittere. Quæ cùm ita sint, vt nullus omninò post hanc vitam sensus sit futurus; sed animæ simul cum corporibus intereant; quid restat, quàm vt, dum datur, edamus, bibamus, & genio nostro suauiter indulgentes, breue istud vitæ tempus redimamus? Atque hæ sunt, ob insignem vecordiam, impiorum illæ voces; quibus se mutuò, ad dissolutam & voluptuariam vitam cohortantur.

7. I, comede in gaudio panem tuum, & bibe corde læto vinum tuum, quia iam benè

7 Tu verò, qui diuini numinis metu tangeris, sic te ipse compara, & compone, vt qui meliorẽ vitam, post hanc, à Deo omnium retributore expectes; ac proinde, nec te voluptatum illecebris, à vero pietatis studio abduci patiare; nec tamen ab his ita abhorreto,

abhorreto, vt dum honestæ sint, vitæque molestias leuent, atque animum exhilarent, non ijs te liberè posse frui arbitreris. Nam (quod iam sæpiùs inculcaui) bona huius vitæ, fœlicitatis pars in hoc est posita, vt quis, posthabitis nimijs laboribus, curis, vitęq; molestijs, (quæ varijs ex causis in vitam confertim incidunt) moderatis animum oblectationibus reficiat, eiúsque tranquillitati consulat. Nihil igitur veto, quin etiam hortor; vt pane, quem labore tuo pepereris, lætus vescare; vinúmque, quod tibi fundit vitis tua, hilari mente bibas; eóque maiori cum fiducia, & alacritate, quòd cùm certò scias, te Deo, quem religiosè colis, charum esse, atq; acceptum; etiam & illud persuasissimum habeas, in tuum vsum omnia hæc ab ipso esse creata, vt ijs cum gratiarum actione lætus perfruare. Domini quippe est terra, eiúsque plenitudo; quam non sibi ipse, cùm nullius

placet Deo factum tuum.

lius indigeat, ſed cultoribus & amicis ſuis, filijs hominum parauit.

8 In omni tempore erunt veſtes tuæ albæ, & vnguentum ſuper caput tuum non deficiat.

8 Quocirca, pone tetricum hunc vultum, & auſteram nimis vitam mitte; reijce pullam, ſqualidam, ac ſordidatam veſtem; & ſume mundam, & candidam, pro modo tamen ac ratione facultatum tuarum; neq; te hoc Deo magis placiturum putes, ſi intonſa barba, ac pædoris plena, impexa cæſarie, facie horrida, ſqualore & ſitu obſita, in publicum prodeas. Quis enim ſit vſus vnguenti, cuius nobis tanta hîc eſt copia, ſi non eo cutem inungendo, glabriorem, laxiorémq; efficias; & delibutum nardo caput, nitidius, ſplendidius, magíſque odoriferum reddas? Vtere igitur omnibus hiſce vitæ commoditatibus, ſed modicè, & honeſtè; Deum horum datorem & authorem agnoſcens. Neq; enim honeſtarum voluptatum vſus, ſed abuſus damnandus eſt. Et quemadmodum in vitio ſunt, qui

qui ijs nimiùm indulgent; ita nec reprehenſione carent, qui voluptatibus in vniuerſum bellum indixerunt; quos ob id horridos, duros, immanes, atq; agreſtes ſolemus appellare.

9 Scortationes, adulteria, inceſtus, vagáſque libidines, vt Deo ingratas, veto: vxoris autem, & legitimæ coniugis complexus, adeò non damno; vt author etiam vobis eſſe non dubitem, vt toto inanis iſtius vitæ tempore, eas, quas Deus vobis legitimo matrimonio coniunxit, diligatis, ametis, charas habeatis; in eis denique honeſtè vos oblectetis. Etenim, hæc omnia Dei dona ſunt non vulgaria, quibus qui vti nouit, vt oportet, is certè in hac vita (ſi quiſquam) fœlix eſt iudicandus. Quid enim maius, aut melius, ex omni noſtro labore, quem ſub ſole ſuſtinemus, conſequi poſsimus; quàm vt rebus, & hominibus præclarè vtentes, honeſtam voluptatem, cum animi tranquilli-

9. Vide vitam cum vxore, quam amâſti omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, quam dedit tibi (Deus) ſub ſole, omnibus diebus vanitatis tuæ: quia hec portio tua in vita & in labore tuo, quo laboras ſub ſole.

tate coniunctam, adipiscamur?

10. Omne quod inueniet manus tua, ad faciendum in robore, fac: quia non est factum: & cogitatio, & scientia, & sapientia in sepulchro, quò tu is ibi.

10 Sed hîc (vt suprà monui) diligens cautio est adhibenda; ne dum voluptates sequimur, lubricitate lapsi, in vitæ dissolutionem, otium, atque ignauiam incidamus. Quinimò, dum tempus est, honestè, iustè, liberalitérque faciendi ac laborandi, nullam rei benè gerendæ, occasionem prætermittamus; sed quęcúnq; exercendę virtutis nostrę materia, sese nobis obtulerit, eam fortiter arripiamus; in eámque pro viribus strenuè incumbamus; quò Deo, omniũ istorum bonorum largitori, grati atque accepti esse posimus. Meminerimus (inquam) sic voluptatibus hîc esse studendum, vt illud interim multo magis cogitemus; nunc nunc esse tempus operandi; diuiníque cultus, & charitatis officijs exequendis inuigilandi. Nam, cùm ex hac vita decesserimus, & cadauere terræ mandato, spiritus ad eum reuersus fuerit, qui

qui dedit eum; ſera erit improbitatis pœnitentia, ſera piè benéq; faciendi voluntas, ſera omnis vitæ emendatio. Nihil enim illic facere licebit, nullam inire rationem ſapientiæ, aut ſcientiæ, ad opus faciendum, quod tibi proſit; aut cuius mercedem conſequaris. Neque enim illud ſerendi, ſed metendi; non ſpargendi, ſed colligendi; non operandi, ſed operum mercedem reportandi; tempus eſt futurum.

Reuertitur ad quæſtionem incœptam initio capitis noni.

11 Sed his omiſsis, ad ſuperiorem quæſtionem, de factorum omnium, tam piorum quàm impiorum, euentis; déque diuini numinis prouidentia in vtriſque reuertamur. Diximus ergò rerum euenta, non ex noſtris actionibus, aut conſilijs; ſed ex Dei, ea moderantis, nutu dependêre. Quod vt fiat clarius, ſic mecum parumper (quęſo)

11. Redij, & vidi ſub ſole, quia non velo, cium curſus: & non fortium pugna: & etiam non ſapientum

panis: & etiam non intelligentium diuitiæ, & etiam non cognoscentibus gratia: quia tempus, & casus eueniet omnibus istis.

quæso rem perpendite. An non is, qui corporis velocitate pernicitateq; præstat, videatur in decurrendo stadio præmium auferre debere? Qui copiarum magnitudine, & militum robore, adde etiam militaria scientia excellit, in prælio superior euadere? Qui sapientia est præditus, vitæ necessarijs; qui prudentia, atque in rebus tractandis solertia, opibus, copijs, ac diuitijs abundare? Denique qui insigni optimarum rerum cognitione, multáque scientia sunt imbuti gratia, authoritate, dignitate, mortalibus reliquis antecellere? Certè negari non potest. Etenim hoc naturæ ordo postulat, & ratio dictat, vt quemadmodum quisque in quolibet studij genere sit præstantissimus; ita & ex eo plus consequatur, melioremq; sortiatur euentum; quàm, ij, qui in eodem genere minus possint. Atqui persæpè prorsus contrà sub sole fieri videmus; vt à tardis veloces, ab imbecillibu

becillibus robusti, à simplicibus re-
rúmque imperitis sapientes vincan-
tur. Non quia isti illis agendi facul-
tate & peritia præstent; sed quia e-
uentus, ad quos diriguntur, quorúmq;
causa suscipiuntur actiones omnes,
in eorum manu non sunt; sed in Dei
vnius potestate, qui non rarò ad re-
tundendam hominũ superbiam, qui
hisce pręsidijs ferocientes, modò non
Deos se putant, infimum & abiectis-
simum quemq;, rerum fœliciori suc-
cessu vti sinit. Cui rei, ne longiùs ab-
eamus, insigni documento esse po-
test pater meus Dauid, qui paruulus,
imbecillis, atque adeò inermis, va-
stissimum illum Gigantem Golia-
thum, quem totus horrebat exer-
citus Israeliticus, solus fundæ iactu
prostrauit; quique posteà rex factus,
callidissimi illius Achitophelis in-
sidias ita declinauit, vt in eiusdem
perniciem, atque exitium verte-
rentur; non sapientia quidem sua,
aut

aut consilij magnitudine; sed Dei benignitate potiùs, atque fauore, qui pro sua sapientia, atque iustitia, humanas vires & solertiam frustratur, ac illudit; vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

12 Quia etiam non nos et homo tempus suum: sicut pisces, qui apprehenduntur in sagena mala: & sicut passeres apprehensi laqueo: sic irretiuntur filij hominum tempore malo, cùm cadet super eos re-

12 Et quomodo tandem homo, consiliorum, actionúmque suarum euentum pręstare possit; qui ipse suum tempus ignoret; non illud mortis solùm (quod vnum omnes humanos conatus momẽto subuertit:) sed & miseriarum, calamitatúmque, quę iam iámque eius capiti impendentes, improuisum, nihilque minùs cogitantem opprimunt? Quemadmodum enim pisces, doloso reti, aut hamo; auésque, insidiosis laqueis capiuntur; sic & homines, repentinis casibus, & aduersitatibus, incauti non rarò obruuntur. Quod cùm de omnibus, tum de impijs potissimùm dictum volo. Nam pij quidem, religiosi, ac Dei timentes, tametsi ijsdem casibus

casibus implicentur, non tamen ijs in opinantibus accidunt, aut in exitium cedunt. Nam, & multò antè ista prouisa habent, & à Deo, alicuius boni causa, sibi immitti certò sciunt.

pentinum exitium.

Rerum euentus in Dei manu positos esse superiùs ostendit Solomon: parúmque valere nostram humanam sapientiam, mundanáque consilia, ad euertendam diuinam dispositionem. Ne quis ergò hinc colligat, sapientiam rem esse contemptibilem, atque eodem loco cum stultitia habendam, iterum hîc, per digressionem, in laudibus sapientiæ spaciatur.

13 Cæterùm, cùm euentus omnium nostrorum consiliorum, factorúmque, non in nostra potestate, sed in Dei manu positos esse dico; non est quòd hîc quisquam suspicetur, me sapientiam ac stultitiam iuxta habere; prudentiam atque imprudentiam eodem in loco ponere. Magna enim est, & inæstimabilis (vti superiùs

13. Etiam hanc vidi sapientiam sub sole: & magna ipsa apud me.

riùs diximus) sapientiæ possessio, quæ quidem mihi tanti est, vt præ ea reliquas res humanas paruas ducam; cuius etiam quanta vis sit, quantáque vtilitas, vnico tantùm exemplo demonstrabo.

14 Memini videre vrbeculam quandam sanè perexiguam, ciuium paucitate, mœniorúmq; humilitate munitam; eam porrò obsederat rex potentissimus, magnis equitum peditúmque copijs, vallo, magnísque exstructis munitionibus cinxerat, machinas denique, ac tormenta bellica admouerat; vt iam à certa expugnatione minimùm videretur abesse.

15 Cùm vir quidam pauper, sed præcipua quadam sapientia præditus, contra omnium hominum opinionem, ciues cõseruat, rege superato, ciuitatẽ ab expugnatione liberat, non quidem viribus, armis, aut potentia, quibus longè superior erat obsessor,

14. Vrbs parua, & viri in ea pauci, & venit aduersus eã rex magnus, & obsedit eam, & ædificauit super eam munitiones magnas.

15. Et inuenit in ea virum pauperem sapientem, & liberauit ipse vrbem sa-

obsessor, neque opibus, aut pecunia- *sapientia*
rum magnitudine, (erat enim, vti *sua: & ho-*
diximus, pauper;) sed vnica rerum *mo non me-*
humanarum principe ac moderatri- *minit viri*
ce, sapientia; quæ tamen (ô incredi- *pauperis*
bilem hominum imperitiam, dicam *huius.*
an malitiam!) ideo in obliuionem ve
nit, quòd à paupere esset profecta;
ideò inquam, & id temporis parui
ducta, esset apud posteros parùm ce-
lebrata, quòd facinus illud tam præ-
clarum, de quo omnia retrò sæcula
loqui conueniebat, non magnus
aliquis, diues, potens, aut nobilis
in Rep. sed obscurus, humilis, at-
que egenus patrâsset; perinde ac si
sapientia per se, suáque natura, non
abundè esset laudabilis; sed à pos-
sessore suo commendationem aut
gloriam peteret, cùm quicquid ve-
ræ laudis homines habent, id virtu-
ti ac sapientiæ debeant.

16 Quare, non iniuria statuo, 16 *Tunc*

dixi ego, Melior sapientia robore: tametsi sapientia illius pauperis contempta sit: & verba eius non audiantur.

sapientiam robore, ac viribus corporis longè esse præstabiliorem. Vires siquidem, nisi sapientia & consilio regantur, ipsæ sua mole corruunt, atque in suam perniciem vertuntur: sapientia autem, & in rebus gerendis solertia, vel in debili corpore maximas vtilissimásque res exequitur; cuius veræ laudi, ne illud quidem (vt modò dixi) obstare potest, quòd in obscuro & paupere homine, à rerum imperita multitudine ferè contemnatur, neque ei salutariter præcipienti obtemperetur; quin potiùs hanc stultitiæ, atque ingratitudinis suæ iustissimam pœnam exoluunt, quòd sapientum monitis aures præcludēdo, in multas miserias & calamitates incidunt.

17. Verba sapientum in quiete audiuntur: (plus)

17 Qui verò à prauis vulgi opinionibus longiùs absunt, & aliquanto sunt cordatiores, hi libenter & attentè sapientum dicta audiunt; iisdémque obtemperant. Quinetiam

demissas

demissas & sedatas illorum voces, maiori cum attentione, & alacritate arripiunt, quàm stolidorum ducum inter stultum militum vulgus, perturbatos clamores, insanásque exhortationes.

quàm vociferatio dominantis inter stultos.

18 Quocirca, si mihi optio detur, malim equidem ad belli administrationem, vnum mihi dari virum sapientem, quàm decem robustissimos pugnatores; qui instrumentis bellicis, armis, telísque optimè sint instructi. Nam sapiens, non se modò, sed integros sæpè exercitus, vrbes, ac regiones, consilijs suis conseruat; at vel vnus aliquis temerarius, viribus confidens homo, vel vno errore maxima bona euertit, & infinitos secum in calamitatem, atque exitium trahit: quod cùm in rerum publicarum, & ecclesiarum administratione, tum in primis in militia vsu venit, vbi vnius lapsu, toti sæpè delentur exercitus.

18. Melior est sapientia instrumentis bellicis: & peccator vnus perdet bonum multum.

CAP. X.



T quoniam perdificile est, totam vitam ſapienter gubernare, vt non interdum ab ea declinans, in errorem aliquem ſtultitiámque prolabaris; proſpiciendum eſt etiam atque etiam, ne id nobis aliquando vſu veniat. Subuertitur enim frequenter omnis benè actæ vitæ laus, & gloria, vel modico aliquo errato; vt non iudicio, aut conſilio, ſed afflantis fortunæ proſperitate, ea, quæ antè feceris, geſta videantur. Et quemadmodum emortuæ muſcæ, (animalcula alioqui & vilia & minuta) prætioſiſsima etiam vnguenta, & maximè odorifera aromata, vſque eò corrumpunt, & vitiant; vt grauem etiam tetrúmque odorem exhalent; ſic & minima quæque ſtultitia, prauáque ratione moderata actio ſapientis, benè alioqui

1. *Muſcæ mortis fœtere faciũt vnguentum pigmentarij: (ſic) prætioſum ex ſapientia & gloria parum (fœtere facit.)*

qui institutæ vitæ, laudem omnem, & gloriam defædat; atque deturpat.

2 Nihil ergò vera ſapientia maius, nihil vtilius; ſi quis eam conſtanter, æquabilitérque retineat. Qua qui præditus eſt, per omnem vitam fideli conſule vtitur; omnibus actionibus, officijs, dictis, factis, cogitatis, moderatricem, & quaſi amuſsim quandam adhibet. Quæ & domi, quemadmodum familia ſit adminiſtranda; Reſp. gerenda; leges ac iura ciuibus dicenda, præſcribit; & foris fida peregrinantibus comes, quemadmodum cum hoſpite comiter & amicè; cum hoſte prouidè & fortiter ſit agendum, docet. Semper (inquam) ad dexteram præſtò eſt, nunquam defecit, ne extremo quidem difficilimóque tempore. Quinetiam nunquam ſe magis vtendam præbet, quàm cùm aduerſæ res, tempeſtatéſque ingruerint. Et quemadmodum

2. Cor ſapientis ad dexteram eius: & cor ſtolidi ad ſiniſtram eius.

manu dextera ad omnem functionem obeundam, à natura promptissimè vtimur; sic sapientis mens, veluti ad dexteram collocata, rebus omnibus dexterè exequendis promptissima, aptissimáque est. Contrà verò, cor stulti ac fatui, quasi ad læuam positum, ad omnia ferè ineptum est, atque inutile; vtpotè, qui non ratione & iudicio; sed cæco animi impetu feratur.

3. Et etiam in via, cùm stultus ambulat, cor illius deficit: & dicit omnibus (quòd) stultus est.

3 Sed neque vt maximè quidem vecordiam dissimulet, sapiénsque videri velit, obscuram, aut occultam stultitiam suam habere potest. Quin frons, oculi, vultus, incessus, gestus, totus denique corporis habitus, animi morbum prodit; atq; adeò oratio ipsa, qua omni loco plurimùm vtimur, quæque hominem à bellua secernit, nihil minus quàm hominem esse manifestè loquitur. Et, vt semel dicã, cùm reliqui tam corporis quàm animi morbi, aut veste occultari, aut

oratione

oratione tegi posſint; ſola ſtultitia ſemper aperta, ſemper in propatulo eſt, ſemper ſe omnibus vndiquáque conſpiciendam præbet: vt parum ſit poſſeſsori ſuo pernicioſam eſſe, niſi inſuper dedecus ei, atque ignominiam afferat.

Reuertitur ad inſtitutam adhortationem, atque de mutuis erga ſe iuſtitiæ officijs, cùm principum, tum ſubditorum agit.

4 Sed neſcio quomodo, euehendæ ſapientiæ ſtudio prouectus, longiùs ab argumento receſſerim. Quare, iuſtitiæ illud præceptum, de debita regibus obedientia præſtãda, quod ſuprà attigimus, fuſiùs aliquanto hoc loco proſequamur. Quodſi igitur (vt ſunt principes ad iram faciles, & ad eandem deponẽdam difficiles, atque implacabiles,) in regis indignationem, quamuis leui, aut nullo ſuo merito ſapiens inciderit; iámque animo iritato, honore, aut parte ali-

4. Si ſpiritus dominantis aſcenderit contra te: locum tuum ne deſeras: quia remiſsio quieſcere faciet peccata magna.

qua bonorum eum ſpoliet; aut in vincula conijciens, duriùs atque iniquiùs tractet; huic profectò ſuaſero, vt iniurias, neceſſariò alioqui à potentiore ferendas, æquo & patienti animo toleret; nihil contra principem moliatur, dicat, cogitet; ſed ſuam rem, ſuúmque officium tacitus agens, & præſentis conditionis memor, nihil æquè cenſeat conducere, cùm ad ſapientis vitæ ſtationem, animíque tranquillitatem retinendam; tum ad placandum, leniendúmque offenſi regis animum, modeſtia, patientia, tolerantia, & verborum lenitate. Quibus etiam rationibus ferociſsima alioqui pectora, quæ nulla vi flecti poſſunt, facilè frangi ſolent; & qui inexorabiles videbantur, ad ignoſcendum procliues redduntur. Quemadmodum è contrario, nihil æquè auget, ac veluti oleo addito, & affuſo inflammat regum iracundi-

am; atque ſubditorum refractarius animus, & ſuperba oratio.

5. Eſt malum, quod vidi ſub ſole, ſimilis errori qui prouenit à dominante.

5 Nec tamen non ſunt principes viciſsim vehementiſsimè culpandi; qui ciuibus ſuis, obmurmurationis ac rebellionis cauſam præbent; quæ cùm ex varijs principum vitijs, ac delictis, tum ex nullo (quod quidem ſub ſole animaduerti) magis naſci ſolet, quàm eo iniuſtitiæ genere, quod eſt in magiſtratibus, honoribúſque demandandis.

6. Conſtituitur ſtultus in altitudinibus multis: & diuites in humilitate ſedent.

6 Memini enim obſeruare, eam eſſe principum quorundam imprudentiam, (ne dicam vecordiam ac iniquitatem,) vt vilem aliquem abiectúmque, nullo neque virtutis, neque ſapientiæ ornamento inſignem; ſed indoctum, ſtolidum, ac prorſus fatuum hominem, ad ſummum dignitatis gradum euehant; heroes autem, generis nobilitate iuxta ac inſigni virtute claros, déque Repub. benè meritos, ad ima

& vilissima quæque deprimant; nec in vllo numero esse patiantur.

7. Vidi seruos super equos: & principes ambulantes sicut seruos super terram.

7 Seruos (inquam) vilissimáque mancipia (quibus ne in familia quidem honestius aliquod munus commiseris) animaduerti, ad Reip. clauum & gubernacula collocatos; eorúmque fidei rerum summam concreditam; ac eosdem phaleratis in equis sublimes vectos: cùm contrà, regni optimates, à rege contempti, despectíque, debitis honoribus exclusi, humi serperent: ac seruorum instar pedibus incedere cogerentur.

8. Fodiens foueam, in eam cadet: & diruens sepem, mordebit eum serpens.

8 Quæ tametsi iniquissima, indignissima, ac grauissima omninò hac in parte sit regum iniustitia, ac tyrannis; tamen author fuerim cordato, Deúmq; timenti viro, vt ea non modò dissimulet; verùmetiam patienter ac leuiter ferat, nec in animum suum aliquando inducat, iniuriæ vlciscendæ cupiditate, aut factis, aut dictis, aliquid cõtra regem suum moliri.

moliri. Siquidem tritum illud; Qui foueam alteri fodit, incidit in illam; cùm in omnes, qui alijs malum ſtruunt, tum in eos potiſsimùm quadrat, qui regibus ſuis exitium parant; non ſolùm quia cum potentioribus congredientes, ferè ſuperantur; verùm etiam quia Deus, qui regiam maieſtatem, ſui quandam in terris imaginem, ſanctam & inuiolatam eſſe vult, talium vltor & vindex ſeuerus exiſtit; vt vix quiſquam, non dicam regem, ſed tyrannum è medio ſuſtulerit, cui non eodē modo paulò pòſt vis ſit illata. Nec quicquam eſſe poteſt periculoſius, quàm prætextu opprimendæ tyrannidis, antiquos mores, receptas leges, ac conſuetudines, & conſtitutam Reip. formam labefactare, aut conuellere conari. Vt enim qui ſepem diruit, à ſubdolo ſepe, hoc eſt, ab angue latente, non rarò vulneratur, ac venenato morſu è medio tollitur; ita qui (iniuriæ

riæ vlciſcendæ cauſa) regni ſtatum, aut politiæ formam tranſponere, aut diruere aggreditur ; ipſe ſibi primus exitium parat.

9. Transferens lapides, affliget ſe in illis: & findens ligna, periclitatur in illis.

9 Et quemadmodum, qui veteri ſtructura parùm cōtentus, nouitatis ſtudio lapides ex loco in locū transfert, magnam perpetitur, tum animi, tum corporis moleſtiam ; & qui ligna ſibi findenda ſumit, periclitatur, ne aut crus, aut tibiam ſecuri vulneret, aut aſſula manum aut oculum lædat ; ſic leues & curioſi homines, qui rerum nouandarum ſtudio nihil loco ſuo manere patiuntur ; ſed mouent ; miſcent ; mutant denique omnia ; non ſolùm animi tranquillitatem (maximum mortalibus in hac vita bonum) nequiter amittunt ; verùm etiam capiti ſuo periculum non mediocre accerſunt.

10 Si obtuſum ferrum eſt, &

10 Quare, diligenter videndum eſt, quid, & quomodo quæque aggrediamur ; omnibúſq; noſtris actionibus,

bus, consilium, & sapientiam adhibeamus; sine quibus nullius vires tātæ sunt; vt in conficiendis rebus arduis non facilè fatiscant; atque deficiant. Vt enim ferrum, cuius acies hebetata fuerit, ac rubiginem contraxerit; nisi perpolitum acuatur, opifici ad opus suum faciendum non modò inutile & ineptum fuerit; verùm etiam, quamlibet robustus sit, eius vires nequicquam lassârit: sic authoritas, dignitas, potentia, in Rep. quam prudentia, sapientiáq; non moderetur, possessori suo magis oneri ac detrimento; quàm præsidio aut vsui ad res gerendas esse solet. Vna quippe sapiētia est, quæ præstantiam omnem vtilem, efficacem, atque ἐνεργητικὴν facit; quæque actiones omnes, tam principum, quàm subditorum, ad effectum perducit.

illi non acies polita, etiam validos fatigat: (sic) præstantia rectitudinis est sapientia.

Ostenso officio iustitiæ in actionibus, prohibet maledicentiam, cùm erga omnes, tum maximè erga principes, qui magistratum gerunt.

11 Ea

11. Si mordebit serpens, & non incantatus, sic non est excellentia domino lingua.

11 Ea porrò, cùm rebus omnibus, tanquam amussis ac norma quædam est adhibenda; tum in primis moderandæ linguæ, atque sermoni, quibus interdum grauiora vulnera, tum accipiuntur, tum inferuntur, quàm ferro, ac factis. Quinetiam statuerim non aspidis, aut serpentis non incantati (cuius morsus venenosissimus habetur) punctionem magis esse læthiferam, quam obtrectatricis ac maledicæ linguæ virulentos ictus. Nam serpentes vitæ duntaxat periculum creant; at maledici & calumniatores, cùm non rarò vitam, tum famam cordatis omnibus vita chariorem, eripiunt: & illorum quidem ictus facilè declinari possunt; aut accepti, medicorum arte curari; istorum verò procacitas & maledicentia, nec prouidentia vitari; nec vulnus ab illis acceptum, vlla arte ita sanari potest, vt non cicatrix aliqua quasi inusta resideat. Neque verò linguacibus

atque

que detractoribus minùs exitiosa
t sua virulentia, quàm est ei, qui pe-
itur. Nam & animi sui malignita-
em, & κακοήθειαν prodentes, opti-
nis quibúsque exosos se atque inui-
os reddunt; & nimia garriendi, ac
uidlibet effutiendi cupidine, prin-
ipum sæpè arcana & vitia proferũt;
uibus quod verbis malefecerint, re
capite persoluant. Taceo, quòd in
tolidis quibusdam atque amentibus,
nta vis est morbi, vt ne sua quidem
rimina cælare possint; suóque ipso-
um indicio, tanquam sorices prodi-
i pereant.

2 Et quemadmodum sapiens, hoc 12. *Sermones oris sapientis gratia: & labra stulti absorbent ipsum.*
pso, quòd nouit linguam suam re-
rænare, ac dicendi tacendíq; tempus
bseruare; nemini molestus, omni-
us gratus, atque acceptus est: ita &
ultus, linguæ suæ petulantia & in-
emperie, fanda iuxta ac nefanda pro
undens, omnes offendit, omnibus
tomachum facit.

13 Nec

13. Initiũ sermonis oris illius, stultitia: & extremitas oris illius insania mala.

13 Nec mirum. Vix enim os ad loquendum diducit, cùm mox vanitatem meram, ac stultitiam euomat, & exitus orationis in perniciosam insaniam desinat.

14. Stultus multiplicat sermones: non noscet homo id quod erit: & quod erit post eum quis indicabit ei?

14 Cúmque sit indignissimus, qui loquatur; dignissimus autem, qui perpetuo silentio vitam transigat; nunquam tamen garrire desinit; sed loquacitate sua omnes obtundit; tanto de rebus asseuerans confidentiùs, quanto earundem est imperitior. Et, quod ne sapienti quidem datum est, vt futura ita prospiciat, vt de ijs certi aliquid pronunciare possit (cùm nesciant mortales, quis sit futurus rerum euentus, aut quid se in posterum maneat;) iste perinde ac si in consilio superûm assedisset; ita audacter ac temerè de ijs pronunciat, ac statuit.

15. Labor stultorum fatigat eum, qui

15 Vbi verò iam ad rem aliquam gerendam sese contulerit, hîc se magis etiam aperit, prodítque vesania. Nam cùm in re qualibet, vna sit, simplicissimá-

plicissimáque via, sapientia, quæ nos recto tramite, absque salebris aut errore, ad metam certissimè deducat; stultus, sua scilicet fretus industria, per auia & aspera, longo ambitu atque anfractu oberrãs, multùm se diúque frustrà torquet, ac fatigat; non aliter ac viæ ignarus viator, qui quo diutiùs fuerit progressus, eo longiùs ab vrbe, quam petit, adscedit.

non nouit ire in vrbem.

16 Sed stultitia cùm omni hominum generi alioqui mala, exitiosáq; est; tum verò est perniciosissima teterrimáq;, si in regem, aut principem Reip. inciderit. Nam priuatorum dementia, angustis finibus circũscripta, in suum ferè caput, paucorúmque detrimentum vertitur; siquidem potentia destituta improbitas, non sinit vulnus graue esse, atque læthale; vt si maximè nocere velint, non possint tamen. Principum verò errores ac peccata, quæ ex stultitiæ fonte scaturiunt, ad totam sese diffun-

16. Hei tibi terra, cuius Rex puer: & principes tui manè comedunt.

dunt Remp. & propter ſummam po-
teſtatem, grauiſsima omnibus vul-
nera infligunt. Vt ter quatérque in-
fœlix ſit, & miſerum illud regnum,
vbi ſtulti reges, ac principes dormi-
unt, cùm ſit vigilandum; comeſſan-
tur, ac ebriantur manè, cùm ſunt con-
ſilia capienda; ſaltant, ac choreas du-
cunt, dum ius dicendum, ac Reſp. ge-
renda eſt; puerorum denique ritu,
benè ſe habere putant omnia, quam-
diu voluptatibus ipſis licet perfrui;
tametſi interim pereat ac diffluat, ne-
glectum commune bonum: & erga
Rempublicam officium.

17. Beata tu terra, cuius Rex tuus filius candidorum: & principes tui in tempore comedent, pro

17 At contrà, quomodo eius reg-
ni fœlicitatem ſatis prædicem, cui
præeſt, non inſulſus aliquis è media
plebe, malè educatus, indignéque ad
ſuum dignitatis faſtigium euectus;
ſed vt ſtirpe & generis proſapia illu-
ſtris; ita & in Dei timore, ſapientia,
atque omni virtute ſtudioſiſsimè à
puero educatus; rerúmque gerenda-
rum

rum ſcientia probè inſtructus, qui eos etiam magiſtratus, ac principes, Reip. ſuæ præficit, qui non ex eius ſpolijs ditati, epulentur, potent, ſibíq; omne genus voluptatum parent; ſed qui publici boni amantes, tantum cibi potúſque ſumunt, quantum viribus reficiendis ſufficiat; reliquum verò tempus omne fideliter Reip. impendant; diligenter cauentes, ne ſua ſocordia, aut negligentia, vel nimium malum in eam irrepat. *robore, & non pro compotatione.*

18 Non ignari, quòd quemadmodum per oſcitantiam patrisfamiliâs, neglecta initio minima quáque rimula, in fundamento aut parietibus; vitiatur, tandémque periclitatur tota contignatio; & tegulis paulo negligentiùs in tecto habitis, tota tandem perpluit domus, ac putrefiunt (horridam mox paſſuræ ruinã) trabes ac tabulata: ſic, niſi minimis vitijs ac noxis, in Repub. ſerpentibus, aſsidua diligentia confeſtim occurratur; & *18. In pigritijs corruit contignatio: & in remiſsione manuum perſtillabit domus.*

quæ violata ſunt, mox reſarciantur; quæ integra, ſarta tecta retineantur; vniuerſa tandem Reipub. ruina conſequitur. Fieri enim nequit, vt neglectis ac laborantibus partibus ſingulis, benè ſe habeat, ac ſubſiſtat totum.

[1]9. Ad riſum facientes panem, & vinum lætificat viuentes: ſed argentum exaudiet omnia

19 At nunc vulgò in aulis principum videas, nõ ſobrietati, temperantiæ, aut Reip. commodis ſtuderi; ſed perpetuò ſumptuoſas apparari cœnas; agitari cõuiuia, ad voluptatem, riſus, & iocos; non ad naturæ neceſſitatem comparata; vina quóq; , non ad ſedandam ſitim, ſed ad hilaritatẽ, ad ebrietatem, ad meram deniq; inſaniam, immanibus poculis hauriri. Ex hoc cibi potúſq; immodico luxu, cui coniunctæ ſunt inſolentiſsimæ veſtitus cultúſq; ſumptuoſi impenſæ; naſcitur immẽſa habendi cupiditas. Nã neq; parari, neq; retineri tantę voluptates abſq; magna pecunia poſſunt. Itaq; quærunt vt abſumãt, abſumpta ſtudent reparare; vt auaritia luxum,

& luxus viciſsim auaritiam generet. Quæ cùm im Rempublicam ſemel inuaſerint; peſſundēt omnia neceſſe eſt. Pecunioſi nocentes abſoluuntur, innocentes pro reis damnantur; venduntur iura; corrumpuntur leges atque iudicia; virtus, & probitas pro nihilo ducuntur; ſola pecunia in precio eſt; quam qui poſsidet, quamlibet ſit ſceleratus ac nefarius, clarus tamen magnúſque habetur; authoritate, gratia, amicitijs pollet; nec quicquam eſt, quod pecunioſo non obediat.

20 Quo tametſi nihil eſſe poteſt miſerius, aut indignius; nec poſsit non optimo cuíq; rerum iſta confuſio vehementer diſplicere; fortiter tamē eſt diſsimulãda ſapienti, Deúmq; timenti; cauendúmq; etiam atq; etiam, ne non ſolū aduerſus principē nihil moliamur (vt ſuprà docuimus;) verùm etiã ne de eo apud aliquē malè loquamur; imò ne ipſi intra nos (vt ita dicam)

20. Etiam in cogitatione tua Regi ne maledicas: & in arcanis cubilis tui non maledices diuiti: quia auis cœlo-

rum ire faciet vocẽ, & possessor pennarum, indicabit verbum.

cã) aut cum animo nostro sinistrè de eo cogitemus; sed nec ei, qui te diuitijs alioqui & opibus antecellit (si sapis) maledicendum censeo: non apud amicum, non fratrem, non vxorem. Nullius enim aures ita sunt fidæ, nullus locus ita arcanus, aut abditus; vt quæ in regem, aut te potentiorem dixeris, cælari atque occultari posse speres. Non enim, quod dici solet, longas duntaxàt manus, verùm etiam aures multas reges habent; nec vlciscendi tantùm potestate; sed rescissendi, quæ in eos peccantur, mira quadam celeritate, ac facilitate pollent; vt quorum ne aues quidem ipsas, aut priuatos parietes conscios putasses; ea ab hominibus spe questus, aut gratię, prodita tandem tuo malo sentias; verissimúmque comperias illud, quod dici solet, Si homines taceant; lapides vocem contra regem prolatam eloquuturos.

Finem

finem concioni impositurus, de ea demum iustitiæ parte agit, quæ versatur in dispensatione nostrarum facultatum erga egenos & inopes.



Tque hactenùs quidem de sapientia, & vtróque genere iustitiæ, tam commutatiuæ, quàm distributiuæ, satis plenè mihi egisse videor; & in his præcipuè copiosè persequutus ea, quæ ad officium magistratus in subditos, vicissímque subditorum in magistratus pertinerent: quę vniuersa, ex Dei timore, ortum suum, atque originem traherent; in quo esset posita ea, quam quærimus, vera absolutáque fœlicitas; vt quod initio promisi, iam numeris omnibus absoluisse mihi videar. Quare, orationem hanc totam concludam, si priùs de eleemosyna, & erogatione in pauperes, quæ charitatis, fraternæq; dilectionis argumēta sunt certissima, quęq;

1. Mitte panem tuum super facies aquarum, quia in multitudine dierum inuenies eum.

non minimam iuſtitiæ partem continent, pauca dixero . Hortor igitur omnes veræ ſapientiæ, ac diuini metus ſtudioſos, vt in cōferendis beneficijs, liberales largíque eſſe velint, non in eos ſolùm, qui acceptæ gratiæ memores futuri videantur; verùm etiam in eos, quos ſolùm immemores, & ingratos fore proſpicias; aut à quibus, propter inopiam, ne gratiam quidem vllam expectes; non magis quàm ſi ſementem in littore aut in mari feciſſes . Neque enim beneficentiæ, in quemcúnque tandem (vt dixi) collatæ, pœnitere quenquam aliquādo poterit: vel quia omninò virtus pœnitere neſcit; vel quia quòd homines aut ingratitudine, aut impotētia non exoluunt; id Deus pro ſua munificentia, tum rerum in hac vita proſperitate, tum in futuro ſæculo æternis præmijs abundè penſat.

2. Da porti tionem ſe-

2 Dabit igitur Dei timens, & dabit largiter ; neque vnquam erogando defatiga-

defatigabitur; tantúmque aberit, vt multitudine eorum, qui ope ſua egeant, abſterreatur: vt multò etiam magis materiem hanc, & ſegetem exercendę virtutis ſuæ, oblatam ſibi gaudeat; quóſque ſolent auari theſauros in terram defodere, imminēti fortaſſe calamitati, præſidio futuros; eos ſapiēs multo tutiùs, & vberiore quæſtu, pauperum egenorúmque viſceribus committet. Nam (vt ſunt res humanæ fragiles atque incertæ; & paruo momento videmus, ex locupletiſſimo repentè aliquem fieri egentiſsimum;) ſi de fortunis ſuis deijciatur, vix fieri poteſt, in magna præſertim copia eorum, quos beneficijs ſuis demeruerit; vt non ſit aliquis, qui lapſum erigat, afflictum recreet, atque confirmet. Quid quod illud etiā ad munificentiam hortari debet ſapientem, quòd vitæ breuitas, & inopinatæ mortis incertitudo, occaſionem nonnunquam benè merēdi præripit;

ptem, etiā & octo: quia non cognoſcis, quod erit malum ſuper terram.

ripit; vt pecuniam tuam, quam ad liberalitatem conferre in vita licuerat, ijs relinquere cogaris; quibus minimè velles?

3. *Si implebuntur nubes aqua, super terram fundent; & si cadet arbor in Austrum, & in Aquilonem, loco in quem cadet arbor, ibi erit.*

3 Quocirca, qui rerum copia circumfluunt, diuitijs atque opibus abundant, nubes censeo imitentur; quæ cùm aquis plenæ sunt, & tumidæ; magna imbrium vi effusa, aridam ac sitibundam terram, citra discrimen fertilitatis, aut sterilitatis, humectant, & irrigant. Ita & diuites conuenit, siccorum aridorúmq; pauperum egestati, suis subuenire copijs, gratis simul & ingratis benefacientes. Vt enim arbor conuulsa, quamcúnq; in partem, siue in Austrum, siue in Aquilonem ceciderit, ibi manet; ita beneficium, in quemcúnque tandem, gratúmne an ingratum inciderit, ibi inuenietur, non peribit; nec tempore suo mercede iusta frustrabitur. Et (vt in pari similitudine persistamus) vt mors quemlibet occupârit,

rit, benè multis & liberaliter, aut secùs facientem; talis omninò iudicabitur. Quandoquidem mors, benè maléue de hominibus deinceps merendi, potestatem omnem præscidit.

4 Quare, dum tempus est, benefaciendo nemo defatigetur; & quamlibet vel minimã etiam occasionem exercendæ liberalitatis arripiat; ne, dum spe maioris gratiæ meliores opportunitates expectans, beneficia sua differt conferre; omne simul benè agendi tempus amittat. Nam, quemadmodum agricolis quibusdam minùs attentis, non rarò sementis faciendæ tempus elabitur, dum quemlibet ventum intuentes, tranquilliorémque auram obseruantes, sementem in crastinũ semper reijciunt; ac rursum, ad quamlibet nubeculã extimescentes, & commodius colligendorum fructuum tempus obseruantes, imprudentes eos messis fugit, dum modò maior, modò minor imber,

4. Obseruans ventum, non seret: & videns in nubes, non metet.

ber, alius alium continuò excipit; quemadmodum (inquam) dum auram nimis serenam captantes, paruas interim occasiones negligunt; nec serunt, nec metunt: ita & ij, qui beneficia sua apud plures ponēda sibi non arbitrantur; quòd semper alios se inuenturos sperent digniores, in quos rectiùs ea conferant; ipsi sibi omnem benè merendi ansam, non rarò præcipiunt, dum aut infortunio aliquo bonorum suorum iacturam interea faciunt; aut morte inopinantes opprimuntur: vt extremæ mihi dementiæ esse videatur, benignitatem suam vel in horam differre; præsertim cùm rerum humanarum conditio adeò sit fragilis, vt nemo sit tam beatus, tam florens, qui sibi polliceri possit, ista permansura vel ad vnam diem.

5. Sicut tu non noscis quæ (sit) via venti:

5 Etenim, non ventorum vestigia, vnde scilicet veniant, & quò tendant; non fœtus formatio in vtero prægnantis, quemadmodum vnius eiusdémque

démque ſeminis partes, aliæ in oſſa & neruos conſolidentur; aliæ in carnem & cutim concreſcant, ita à cognitione noſtra ſunt remota; vt non magis incertum ſit atque incognitum, quid de vniuſcuiúſque noſtrum rebus, Deo (cuius nutu omnia gubernantur) decretum ſit, ſtatuere.

ſicut oſſa in vtero grauidæ: ſic non cognoſces factum Dei, quod faciet ad omnes.

6 Quæ cùm ita ſint, præclarè ſapientérque fecerit, qui & manè ſemē ſuum ſeuerit; & veſperi non remiſerit manum ſuã; qui nullum non tempus benè de pauperibus merendi, atque omne genus charitatis in proximum exercendi, idoneũ eſſe putârit: qui deniq; omnẽ ſuam vitã, à prima adoleſcentia, ad vltimam ſenectutẽ, rationes omnes ad benignitatem, munificentiam, liberalitatémq; contulerit. Nam ſi minùs beneficijs tuis reſpondet iſte, vberiorem fructum ex illo percipies; & ſi hic parum eſt gratus, ab alio plus gratiæ referes: ac neſcis, an meritorum tuorum fructum, vnde-

6. Manè ſere ſemen tuum, ad veſperam non remittas manũ tuam: quia non tu noſcis quod magis oriatur, hoc, aut illud: an ſi duo illa ſicut vnũ bona.

vndecúnq; fortaſsis ſis reportaturus.

Totius concionis Perorationem verè pathe-ticam aggreditur: ſuámque opinionem de ſummo hominis bono manifeſtiùs ape-rit, & ad Dei timorem, ſacrorúmque præ-ceptorum obſeruantiam eos omnes adhor-tatur, qui veræ ſœlicitatis ſtudio tan-guntur.

Atq; hactenùs quidem mihi oſten-diſſe videor, in quibus ſita eſſet vera illa, omníque ſtudio conſectanda fœ-licitas; eáque tradidiſſe præcepta, quibus qui pareat, proculdubio eam ſit conſequuturus. Eodémque modo prima concionis parte refutâſſe præ-cipuos de ſummo bono errores, atq; præpoſteras opiniones; quorum alij in ſcientia, mundanáque ſapientia; alij in voluptate; alij in horum permi-ſtione; alij in honoribus, atque po-tentia; alij poſtremò in opibus, atque diuitijs, beatitatem poni volebant. Reſtat nihil, niſi vt vos ſedulò hortet,

&

& moneam; vt in hanc, quam vobis commonſtro, fœlicitatem, quæ tota in diuini numinis metu (ſapientiæ & iuſtitię parente) conſiſtit; omnib. viribus incumbatis; néue eos audiatis, qui beatitatem in vniuerſum tollunt, atq; eam negant homini vllo tempore poſſe contingere; multo etiam minus eorum recipiatis ſententiam, (quorum modò memini) qui defunctis fęlicitatem, imò ſenſum omnem adimunt; viuis verò eam quidem tribuunt, ſed multas vias deuias, quibus ad eam perueniatur, confingunt; ſed vt neque in dextram, neque in lęuam impingentes, medium quoddã iter, quod vobis oſtendi, ſequamini; atq; illud teneatis: Eſſe quandam in hac vita bonitatem, non illam quidem abſolutam & perfectam: ſed qualis in humanam conditionem cadit, inchoatam nempè: quæ deinceps in futuro ſęculo conſummanda, omnibúſque numeris abſolutè fruenda veniat.

veniat. Nam qui ad plenum fœlicem esse posse hominem, dum viuit, contendunt; equidem qua ratione id faciant, prorsus non video.

7. Sanè dulcis lux, & bonum oculis videre solem.

7 Est quidem dulcis (fateor) mortalibus hic lucis aspectus; iucundum est splendidissimum istud solis iubar intueri; & suaue ijs frui omnibus, quæ benigna natura ad hominum vsum, vtilitatémque procreauit: sed vt hæc quenquam absolutè faciant fœlicem, id verò pernego.

8. Verùm si annis multis erit homo, & in omnibus illis gaudebit; interea meminerit dierum tenebrarum, (quia multi erunt:) omne quod

8 Ponamus enim huiusmodi virum aliquem, qui in multas ætates viuat, qualem Mathusalemum illum fuisse à maioribus nostris accepimus: eundémque fingamus ijs omnibus bonis, ac commodis affluere, quę humanus animus queat optare; vt sit sapiens, diues, honoratus, valens, & siquid addi potest ampliùs; atque hæc omnia sibi certò permansura sciat ad extremum vsque vitæ halitum. Is si meminerit, vniuersa hæc in morte finem

nem ſemel eſſe habitura, cogitétque ſibi in ſepulchro, ac tenebris tot ſæculis eſſe degendum, vbi his, quibus hæc vita tantopere delectatur, bonis omnibus ſit carendum; num ille vobis videtur ſe in ſolidum fœlicem, ac beatum prędicaturus: ac non potiùs ea omnia, quæ ſtulti optamus, & admiramur, vana, vilia, atque inania indicaturus? Ita eſt profectò. Non eſt exiſtimanda abſoluta fœlicitas, quæ aliquo tempore, quamuis longiſsimo, ſit amittenda.

euenit vanitas.

CAP. XII.



VErùm enim verò non paulum intereſſe puto, quēadmodum quiſque vitam hanc tranſigat; quinetiam in hoc adnitendum cenſeo, vt, quantum humanæ res patiuntur, miſerias, & calamitates declinemus; fœlicitatem verò

1. Gaude adoleſcens in pueritia tua, & bonificet te cor tuum, in diebus adoleſcentia tua: & ito in vijs

cordis tui, & in obtutibus oculorum tuorum: interea agnosce, quòd super omnia ista venire te faciet deus in iudicium.

rò (si modò fœlicitas est dicenda, quæ inchoata sit) ijs vijs, atque artibus, quas suprà ostendi, cõsectemur. Cupio iuuenem adoloscentiæ suæ vigore perfrui; cupio eum ætatis suæ florem, læta hilaríque mente consumere; cupio denique, vt animo suo, oculorúmque sensui, ac desiderio honestè indulgeat. Sed illud interim meminerit, in his omnibus modum, & mediocritatem esse adhibendam; cupiditatibus rationis frænos inijciendos; ne extra probitatis, honestatísque limites pronè ferantur; néue latiùs euagantes, in præcipitiũ ipsum detrudant. Alioqui enim certò sciat futurum, vt Deus eum iudicio suo sistat; horúmque omnium seuerissimam rationem exigat.

2. Remoue indignationem à corde tuo, & prætere ire fac ma

2 Sic igitur voluptates tractet, & in ijs fœlicitatis demum aliquid positum ducat; si mens, ferocitate, ira, odio, libidine, alijsq; prauis perturbationibus; corpus, spurcitie, fœditate,

tate, & scelere vacet; si nulla sui pars, neq; ea, quæ imperat; neque ea, quæ paret; ita deliciarũ illecebris capiatur: vt grauius aliquod vulnus ei infligatur; aut perniciosum vitium inuratur. Alioqui enim nihil adolescẽtia lubricius, nihil ad vitia procliuius, aut ad vanitatem propensius: nisi ratione, & serio Dei timore, quasi lupatis quibusdam frenis, coërceatur.

lum à car ne tua: quia pueritia & adolescentia vanitas.

3 Neque verò vlla ætas est, quam Dei timorem magis ob oculos habere, aut creatoris sui meminisse conuenit, quàm adolescentiam. Quæ quidem memoria, atque recordatio, non in externo verborum strepitu, aut crebra sacrarum literarum, vel Mosaicæ legis mentione, aut diuini nominis vsurpatione consistit: sed multo magis in eo, quòd in intimis cordis penetralibus viuum quendam sensum, atque experimentum habeamus, bonitatis, amorísque erga nos

3. Et me mento con ditoris tu in diebus adolescen tia tuæ: antequàm non ve niant dies mali: & fatigent anni, qui bus dicas, Non mihi

 eius,

illis de-
siderium.

eius, & clementiæ. Nam, qui Deum tantùm in ore, & summis labijs habent; non autem mentem suam, atque voluntatem, ad eius obsequium componunt: hi pietatis quidem & religionis formam quandam præ se ferunt; sed reuerà impij ac irreligiosi sunt existimandi. Affirmatè autem dico, diuinum hunc cultum debere præstari Deo iuuentutis tempore. Nam si quis dissolutè, ac improbè viuendo, ætatis florem terat; qui speret se extrema senectute posse commodiùs incumbere, diuini metus & pietatis exercitijs; is toto profectò cœlo aberrat.

Nam (si quid in hoc negotio propria valet experientia) ego iam senex aliquid de senectutis incommodis possum dicere. Cui talis esse videtur, vt confirmare posim, non habiturum lenem & facilem senectam, quæque se diuinis præceptis exequendis posit dedere; nisi qui

ab

ab ineunte ſtatim adoleſcentia, per reliquos deinceps ætatum gradus, virtutem ſtudioſè coluerit; rectéque aſsiduè agendo, bonitatis quendam habitum ſibi parârit; antequàm ingruant moleſtæ ſenectutis difficultates; accedántque anni illi, qui cohortem quandam calamitatum ſecum trahunt; hominémque voluptate omni, ac delectatione, eò vſque ſpoliant; vt vitam morte acerbiorem ducant.

4 Tum enim hebeſcente acie, caligant oculi; tantáque oboritur viſus debilitas, vt quæ alioqui ſunt clariſsima; ſol, lux, luna, ſtellæ, obſcura ac tenebroſa videantur: tùm lippiunt, ac lachrymis diſtillant lumina; concretis purulento humore palpebris.

4. Antequàm obtenebreſcat ſol, & lux, & luna, & ſtellæ: & redeant nubes poſt pluuiam.

Et, quemadmodum brumali tempore, poſt effuſam pluuiam, aliæ redeunt nubes, vt nulla interiecta aëris ſerenitate, imbri identidem ſuccedat

imber: sic & in senectute (quæ meritò hominis bruma dici potest,) calamitas calamitatem, ærumna ærumnam, ægritudo ægritudinem, citra intermissionem excipit.

5 *In die, qua tremẽt custodes domus: & vacillabunt viri roboris: & cessabunt molentes: quia pauci erunt: & obtenebrabuntur videntes per fenestras.*

5 Nam & manus, quibus non solùm victus paratur; verumetiam tanquam fidis custodibus iniuriæ illatæ, à corpore depelluntur, moueri ac tremere incipiunt; & tibiæ, quibus tanquam binis columnis, totum corporis ædificium solidè sustentabatur, nutant, labántque: & dentes, qui scindendi frangendíque cibi sunt instrumenta, à quibus tanquam molaribus comminutus in farinam cibus, per gulam, transmittitur in stomachum (propiorem coquendi alimenti officinam,) vacillant, putrefiunt, excidunt, cessant, atq; deficiunt. Et videndi illa facultas, per corneas concauitates, veluti per fenestras respiciens, corrumpitur, ac cæcutit; aut humore exarescente, qui visum fouere,

re, adiuuaréque ſolet; aut neruis opticis læſis, aut ſymptomate aliquo (quod ἐπιγεννηματικὸν vocant) viſuales ſpiritus ab oculis præcludente.

6 Tum clauduntur oſtia faucium, labra nempè, quibus tanquam foribus, os obditur; omnéſque meatus, per quos alimenta in omnes corporis partes diſtribuuntur, paulatim obſtruuntur; ventriculo (tanquam mola, quæ malè frangens, exilem in piſtrino ſonitum edit) propter imbecillitatem naturalis caloris, ægrè cibum concoquente; vndè etiam fit miſer ſenex, hac ſtomachi cruditate laborans, in ſomnijs, ac vigilijs propemodum enecetur; dum ſomnum capit perexiguum, atq; adeò leuem, vt ad minimum auiculæ ſtrepitum expergefiat. Tum caſſæ, atque ingratæ ſunt muſicæ puellæ; aures nempe, & pulmonum tibiæ. Quarum illæ, harmoniam, qua olim delectabantur, propter auditus debilitatem, faſtidi-

6. Et claudentur portæ in platea, cum humili ſono molentis: & ſurgent ad vocem paſſeris, & obſurdeſcent omnes filiæ cantici.

ſtidiunt; hæ malè plenæ & humiliatæ raucam & incōcinnam vocē edunt. Obſurdeſcunt quippe ſenio aures: & vox ingrata ſenibus deficit.

7. Etiam à celſitate timebunt, & illiſus (erunt) in via: & florebit amygdalus, & onerabitur locuſta, & diſsipabitur appetentia: quia vadit homo ad domum ſeculi ſui: & circuibunt in platea plangentes

7 Ad iter verò ſuſcipiendum, tardus erit ac difficilis; quippe cui alta conſcendere, cùm propter greſſus debilitatem, lubricitatémque; tum propter capitis vertiginem, formidoloſum; cui plana & expedita via, aſpera & ſalebroſa; colliculus, mons editus videbitur. Tum veneranda quidem, ſed inſtantis mortis nuncia, canities, quaſi flos amygdali, caput ac tempora veſtiet; & pondere ſuo depreſſæ ſcapulæ, curuatáq; ſpina dorſi, in morem locuſtæ, gybbum facient; nec quicquam erit ita leue, quod non ſit ei graue, atque oneroſum futurum. Extincto quoque iam penè naturali illo calore, ne capparis quidem ad orexim ei excitandā valebit; ſed & ciborū, & veneris, & aliarum omnium rerum appetentia perierit.

Decurſo

Decurso siquidem iam vitæ curriculo, in propinquo mors est, & ad sepulchrum properat miser Adami filius; longissimo tempore, tanquam in domo sempiterna ibidem commoraturus. Et efferendum funus curabunt vespillones: ac terræ matri mandandum, per plateas comitabuntur præficæ; quæ suis nœnijs atque planctu, pullatis amicis luctum moueant.

8 Antequàm igitur hæc malorum caterua, vnà cum odiosa senectute ingruat; antequàm humani corporis compago tota dissoluatur, vitáque cum morte commutetur: maturè recordemur, vt initio dixi, creatoris nostri, eiúsque cultui ac timori nos consecremus. His enim ego rebus comparo corporis nostri fabricam; vt rota sit caput, quod animæ virtute cietur; vt ex inferioribus vitalem succum attrahat, ad quem hauriendum, tanquam funiculis vtitur spina dorsi,

8. Antequàm non constringatur funiculus argenti, & frangatur gutus aureus, & conteratur hydria super scatebram, & confringatur rota ad puteum

dorſi, (quam ob id argenteam voco, quòd medulla eius ſit argentei coloris) & neruis, qui eandem ferè ſpeciem imitantur, quibus funiculis veluti alligata ſunt vaſcula quædam rotunda, cor nempe atque hepar, quę ob præſtantiſsimi ſanguinis colorem aurum imitantur; quęq; vitalem humorē ſubminiſtrant; vrna verò, quæ liquorem ex fonte excipit, cerebrum eſt, omnium noſtrorum ſenſuum, actionúmque officina.

9. Et redibit puluis in terram sicut quod fuit: & spiritus redibit ad eum, qui dedit illum.

9 Quæ poſtquam omnia ad puteum colliſa, confractáque corruerint; non iam erit reſipiſcentiæ locus: ſed ſoluta corporis animæque harmonia, vtráque eò abibunt, vndè primam originem traxerunt. Corpus námque, quod ex lutea terreſtríque materia, corruptioni obnoxia, conflatum eſt, in terram, vnde ortum habet, vertetur; iuxta immutabile illud Dei decretum: Puluis es, & in puluerem reuertêris. Animus verò,

verò, præcipua nostri pars, quia immortalis est, diuinæque naturę particeps, (est namque nostra mens auræ diuinæ veluti quædam particula, ἐντελέχεια, perennis quidam actus, ita à Deo pendens, vt dies à sole, & riuus à fonte) ad conditorem suum, summúmque opificem se confert; factorum omnium dictorúmque, in hac vita, iusta præmia recepturus.

10 Quæ cùm ita sint, vt hæc vita solidam non habeat fęlicitatem; imò etiam ea ipsa, quæ alioqui sunt iucunda, ingruēte senectute, ingrata fiant: cùm morte vniuersa etiam tollātur; quid aliud dicendum est, quàm quod non solùm in exordio, verùmetiam per totam concionem iam sæpiùs inculco; Nihil esse in rebus humanis non vanitati obnoxium? Vana inquam, imò vanitate ipsa vaniora sunt omnia; nisi accesserit religiosus Dei metus, qui nos vera sapientia, ac iustitia

10. Vanitas vanitatum, dixit concionator, hæc omnia vanitas.

ſtitia imbuens,& in hac vita hominibus, ac rebus omnibus tranquillè ac placidè vti doceat; & ad æternam illam poſt mortem demùm futuram fœlicitatem conſequendam iter aperiat.

11. *Præterea quòd fuit concionator ſapiens: adhuc docuit ſcientiam populum, & fecit auſcultare: & ſcrutatus eſt: aptauit ſententias plurimas.*

11 Iam verò, vt de me, antequàm finiam, aliquid dicam; quò hæc mea doctrina plus apud vos momenti, ac ponderis habeat; illud apertè bonáq; conſcientia profiteri poſſum; me, quicquid habui ſapientiæ, (quam quidem Deus pro ſua bonitate abundè in me cōtulit) id omne liberaliter vobis, & nunc, & aliàs communicâſſe. Imò, quāto plus ſapientiæ ſcientiæq; nobis acceſsit, tanto in ea mortalibus tradenda fuiſſe diligentiorem; hominéſque, quantum in me fuit, ad amplexandam ſanam doctrinam pellexiſſe. Neque verò ſatis habui, vni meæ ætati conſulere; verùmetiam, vt inuentis meis tota poſteritas iuuaretur; depromptis vniuerſis ſāpiētiæ meæ

meæ theſauris, infinitas ſententias, quibus ad omnem officij partem homines vterentur: vndiquáque collegi; collectáſque ſcriptis mandaui.

12 Eximias (inquam) res, iucundas, & ſcitu digniſsimas, magno ſtudio ac labore veſtigaui, atque inueni; nec non ſalutaria præcepta, quæ vitã moréſq; hominum formarent; omnibúſque ordinibus, ſexui, ætatibus, rectè viuendi normam oſtenderent; quorũ nihil falſum, fictũ, aut vanum eſt; ſed certiſsima veriſsimáque omnia, & ſolidiſsima ſapientia referta.

13 Quibus, quemadmodum ſtimulis ad gnauiter rectéque arandum boues; ſic ad virtutem ſtrenuè exercendam, Deúmq; seriò metuendum, homines alioqui ignaui, ac ſocordes extimulentur. Etenim, verba ſapientum vehementer auditorum animos commouent; atque adeò altè mentibus inſigenda penetrant, atque inhærent; vt clauos trabales ſpiſſa

12. Quæſiuit concionator ad inueniendum ſermones deſiderij: & ſcripturam rectitudinis: ſermones veritatis.

13. Verba ſapientum ſicut ſtimuli: & ſicut claui plantati retinentes collectiones, dati ſunt à paſtore primo.

ſpiſſa capita, & in ſe collecta habentes, faciliùs ex aſſerum aut valuarum compagine euellas, quàm illa ex hominum animis eradices. Nec mirum, cùm licèt à multis vndique coaceruentur, ab vno tamen ſapientiæ omnis, boníque authore, Deo, tanquam ſummo animarum paſtore proficiſcantur.

14. Excellentius ex his, fili mi, admonitus eſto: facere libros multos non eſt finis: & lectio nimia fatigatio eſt carnis.

14 Neque verò ſuaſero, vt ſe quis componendis, legendíſque multis voluminib. fatiget; quippe cùm pleróſque videas, ſcriptitandi ſcabie quadam, ac prurigine, quicquid in buccam venit, in chartam conijcere; & nihil aliud, quàm immenſos librorum aceruos accumulare: ex quibus ſucci parũ, moleſtiæ verò & afflictionis ſpiritus multum capias. Adde, quòd ad benè, rectéque viuendum, multis præceptis libríſq; opus nõ ſit: & abundè iam nunc conſcrpti ſint ei, qui ſe vtilibus pietatis exercitijs, ac non inani ſpeculationi velit dedere.

15 Etenim

15 Etenim (vt semel finiam) huc redit summa omnium eorum, quæ vel hîc, vel alibi à nobis, vel ab alijs aliquando sapienter salubritérque dicta sunt: aut dici omninò possunt: vt meminerimus, Deum nobis esse timendum; non timore seruili, sed ingenuo, qualis est liberorum timor, atq; reuerentia erga parentes. Quæ res totum Domini cultum, agnitionem, religionem, atq; inuocationem complectitur; vt ex eo semper pendeamus; in eum incumbamus; eum intueamur; ab eius denique larga, & benigna manu, bonáque omnia expectemus; & quod ex his est consequens, eius mandata summo studio obseruare conemur; cùm carnem nostram, prauósque affectus enecando, tum ardentem in alios charitatem exercendo. Quæ nos reddat in verbis dictísque veraces, in contractibus fideles, in pauperes propensos, erga principes obseruantes; sedulos denique

15. Summa sermonis tota audita est: Deum time, & mandata eius serua: quia hoc est omnis homo.

denique in omni virtutis officio. Nimirum hic eſt ille Dei metus, quem ob oculos ſibi quilibet proponere debet, omnibus in rebus; ad quem, tanquam ad normam aliquam, omnia cùm dicta, tum facta dirigenda; à qua ſi vel latum vnguem deceſſeris, mox in omne vitiorum præcipitium ruere ſit neceſſe; atque iram ſummi iudicis ſubire.

16. Quoniam omne factum Deus adducet in iudicium: ſuper omni occulto, ſiue bono ſiue malo.

16 Ad cuius tribunal ſiſtetur aliquando totum humanum genus, rationem daturi de ijs omnibus, quæ in vita admiſerint, dixerint, cogitârint; apud illum (inquam) cauſa vnicuique dicenda erit. Qui vt eſt iuſtiſsimus, fortiſsimúſque; ita & in videndis, producendíſque criminibus oculatiſsimus, ac ſapientiſsimus iudex. Quippe cuius oculos nihil poſſit effugere; quin cordium etiam arcana, atque imis præcordiorum penetralibus abſconditas cogitationes excutiat; atque adeò denſa caligine obtecta,

obtecta, in apertam lucem proferat, cuius nec præſentia euitari, nec vindicta impediri vlla ratione poteſt. Siue enim cœlum ſcandas, ibi eſt; ſiue in orco cubes, illic adeſt; ſiue tenebris te occultandum tradas; ipſa tibi nox lumen erit. Nam tenebræ huic lucis fonti, tenebras nō offundunt; ipſáq; nox ſplendet, vt dies. Quare caueat ſibi quiſque, ne quid committat indignum tanti numinis præſentia; quòd & bona & mala cuiuſque opera, vigilanti oculo obſeruat; ac ſuis cuíq; factis digna ſoluit: nempe impios, iniuſtos, ac refractarios, æternis cruciatibus afficiet; iis verò, qui in Dei metu rectéq; factis, ad vitæ exitum conſtanter perſeuerauerint; fœlicitatem illam ac vitam largietur ſempiternam.

FINIS.

Tota Concio continet Verſus 222.

ANNOTATIONES IN CAPITVLVM PRIMVM.

De Libri Authore.



Ibri huius Authorem Solomonem Regem extitisse, satis compertũ esse potest, ex eo, quòd se filium Dauidis appellat, ac regem Hierusalem. Certo siquidem certius est, neminem ex liberis Dauidis, regnasse Hierosolymis, præter Solomonem. Infrà tamen apertiùs explanat id, quod nũc occulit, cùm inquit; se regem Israëlis fuisse in Hierusalem. Quamobrem autem, tacito Solomonis nomine, se concionantem nominauerit, causæ hæc erit ratio; vt magis commendaret authoritatem, officium, & dignitatem illius personæ, quàm sumere, & sustinere in animum induxerat.

In scribendi tempus & occasio.

Solomonem iam grandem hunc librum composuisse, vel ex eo colligi potest, quòd ex multis variisq; actionibus, cogitationibúsq; edoctus, ac per vniuersas ferè vitæ humanæ cupiditates distractus, nihil inuenerit, quod mentem suam explere, animúmq; saciare posset. Quare per magni interesse iudicauit, vniuersum hominum genus, hac sua concione, ab iritis conatibus, inutilibúsq;

cogita-

cogitationibus abstrahere.

De Libri huius vtilitate.

Sapientes Hebræorum in hac fuisse sententia, vt hic liber è medio tolleretur; author est liber, siue tractatus Thalmudicus Midraxum: neq. tamen se leuibus coniecturis moueri, sed grauissimis arbitrabantur; quòd hic liber ad voluptatem alliceret; quòd secum pugnantia loqueretur; quòd maximam ad impietatem fenestram patefaceret. Sed enim quàm vanæ, futiles, inanésq; fuerint hæ coniecturæ, nihil necesse est in præsentia demonstrare; cùm liber planè diuinus, ac sancti Spiritus afflatu, manu Solomonis scriptus, posterísq; sit mandatus. Quorum friuolis obiectionibus, inter enodationem, respondere suis quibusq; locis, consultiùs visum est: ex quibus, quàm vtilis sit hic liber, facilè cuiuis iudicari, integrum fuerit. Nam extra hoc, quòd egregiam quæstionem de summo bono, summo artificio pertractat, & rerum mundanarum legitimum vsum docet; nihil aliud ante oculos omnium ponit, quàm Dei metum, & rectam, debitámq; mandatorum ac præceptorum diuinorum obseruantiam, & executionem; neq; alibi, quàm in Deo eiúsq; metu fœlicitatem ponendam esse.

Ea etiam sunt hominibus, post primi parentis peccatum, miserâ naturâ comparata mala ingentia, vt semper in perturbatione, cura, & anxietate versentur: quibus malis, in hac concione, medicinam faciens Solo-

mon, docet eorum mentes tranquillari minimè posse; nisi à solo Dei timore, mandatorúmque obseruatione. Etenim res mundanæ, eò quòd fluxæ sunt ac caducæ, animos hominum quietos reddere non possunt: Res enim inanes, & vanæ, mentes animósque hominum perturbatos, tranquillare nequeunt. Mundanæ res vniuersæ, sunt inanes, & vanæ; mentes igitur hominum, vacuas perturbationibus non efficient; sed Dei metus.

Prætereà multitudine varietatéq; rerum mundanarum, variæ curæ, cogitationes, ac studia in mentibus hominum oriuntur; quæ eos à veritate longè faciunt aberrare, ac in opiniones absurdas, inutiles, & vanas conijciunt. Quod cùm Solomon intelligeret, longáque ac diligenti rerum mundanarum inuestigatione, ac experientia didicisset; meram summámq; hanc esse vanitatem, hac eruditissima concione, sanctissimáq;, mortales, omnes, ab errore ad veritatem, reuocare conatur.

Hîc enim de rerum omnium inconstantia, ac inanitate disputans, euidenter demonstrat, non decere homines, ad res vanas sese abijcere; sed ad Deum, rerum vniuersarum authorem atq; parentem, mentis oculos attollere, ac tanquam ei, de factis omnibus rationem reddituros, in rerum conditarum vsufructu, sic segerere; vt Deum Opt. Maximum semper agnoscant, agnitúmq; metuant, venerẹtur, ac colant. Verùm enimuerò

uerò ea ſunt homines cœcitate obcœcati, vt mox ac audierint, res cunctas vanas eſſe; eas, vt malas, ſibíq; noxias, damnent; quæ res à mente ſententiáq; Solomonis, quàm longiſsimè abeſt. Etenim is in eo verſatur, vt rerum conditarum vanitate explicata, vanam, & inanem curam, ſolicitudinem, conatus, ac cupiditates humanas remoueat, vt rebus præſentibus contenti, pro his, gratias præpotenti Deo agentes, vtantur, fruantur, ac quietis tranquilliſq; mentibus, iucundam vitam degentes, anxia, moleſtáq; rerum futurarum cura, ac ſolicitudine non tangantur. Sed faciliùs concio vniuerſa percipietur. ſi breuiùs in hanc argumentationem comprehendatur.

Quicquid vanum eſt atq; periturum, hominem beare non poteſt.

At humana omnia ſtudia, vana ſunt, peritura, atq; interitui obnoxia.

Ergo, Hominem beatum reddere non poſſunt,

Propoſitio tam eſt euidens atque perſpicua, vt ne vlla quidem indigeat probatione. Aſſumptio verò ſex primis capitibus luculentiſsimè probatur: ac propoſita ſufficienti præcipuarum partium enumeratione,

quàm vanæ ſint miſerorum mortalium occupationes atq; ſtudia,(quibus ſe beatos fore confidant) oſtenditur. Partium enumerationem deſcripſimus ſeorſim in diagramate.

Verſ.1.*Verba Eccleſiaſtæ filij Dauidis.*] Ex more inſtitutóq; ſcribentium, authoris deſcriptio præponitur, ex eius procreante cauſa, Dauide; & circumſtantijs duabus, quòd & Rex ſit Hieroſolymitanus, & concionator Cohelet, vel ad mentem, in qua ſapientia inerat; vel ad ſapientiam ipſam,quam faciat loquentem: ſicut Prouerb. 1.20. Vt audientiam ſibi faciat, & ſua concio multùm habeat ponderis;vel deniq; quòd vox cōmunis generis,& in maſculino,pro Solomone vſurpetur, qué leporem Latinè retinebimus, ſi ſic vertemus: *Verba concionantis.*

Vanitas vanitatum dixit Eccleſiaſtes, &c.] Sententia aſſumptionis: res omnes vanæ ſunt: declaratur enumeratione partium, ex quibus vniuerſitas componitur: Terræ,Solis,Cœli,Aëris,Aquæ;quas vanas eſſe, & inanes confirmat, ex adiunctis mutationis, & motus;nempe,ex circumſtantia frequentis continuæ agitationis, qua concutiuntur, ad inanitatem feruntur, ruúntq; ad interitum. Quòd ſi hæ tantæ orbis vniuerſi partes, quæ & ſunt,& habentur cauſæ,& procreantes, & conſeruantes rerum cæterarum; ideóq; elementa, (quæ Græci ςοιχεῖα vocant) initia, ac principia nominantur,vanæ ſunt, imò ipſa vanitate vaniores: quid de

reliquis

reliquis rebus, quæ hisce elementis constant, futurum existimamus? Quare non est cur homo, mentis quietem & tranquillitatem, in rebus perituris quærat. Verùm eximiæ in hac sententia exornationes sunt. Hebel propriè flatus est, quæ significatio mirè facit, ad exprimendam rerum inanitatem; vt ab ea homines auocati in Dei metum intueantur.

Vers.2. *Vanitas vanitatum.*] Polyptoton est, quo Hebræi vtuntur, cùm summam extremámq; inanitatem declarant: carent enim superlatiuis, & comparatiuis nominibus, quibus excessum defectúmue significét: idcirco hoc Polyptoton libenter vsurpant, vel eiusdem dictionis geminationem.

Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes vanitas] Gratissima ἐπιζεύξει per parenthesin interiecta, significantior redditur oratio.

Omnia vanitas.] Epanalepsis est, quòd initio fineq; orationis, eadem dictio repetatur. Sententia hæc magnificè picta, ponit ante oculos nostros, quantùm sit in rebus inane, ne de futuris rebus solliciti simus, vehementérq; angemur: sed sic vitam nostram instituamus, vt sine solicitudine agentes, & grato animo Dei præsentia beneficia prosequentes, hilariter, placidè, iucundéq; viuamus. Math. 5. Ne sitis solliciti in crastinum, sufficit diei afflictio sua. Paul. Sine solicitudine agentes. Et, volo vos sine solicitudine esse. Iacobus, Vapor est vita nostra. Ioan. Mundus transit, & concupiscentia eius.

Paul. Præterit figura huius mundi. Loc. com. de reijciendda animi anxietate: diuináq; prouidentia amplexanda.

V. 3. *Quid habet amplius homo*] His versiculis annotare videtur, generalem illam sententiam, ad hominem generatim transferendam; qua Solomon nititur hominibus persuadere, quàm vana sit corporis sui fabrica, & actiones, quas corpus efficit: vt etiam, eas, quas animus, ministerio corporis facit. Vt ex eo sensim homo labatur, ad considerandam vanitatem suam, extremámq; inanitatem, & miseram coecitatem mentis suæ, cùm caret luce diuini spiritus.

Quid] Vrget hac interrogatione Solomon meram rerum omnium, hominis præsertim inanitatem, ad quàm explicandam aggreditur, ac prima inductionis pars est, de terra; cuius inanitas probatur, ex eius adiunctis partibus, animatis corporibus, quæ valdè mutabilia sunt. Collatio dissimilium sic magis erit perspicua. Tametsi terra maneat immota, inq; omnem æternitatem duratura esse videatur; ac veluti theatrum sit, in quo mortales, suas agant commoedias vel tragoedias potiùs; nihilominùs quæ terræ ipsi adhærent, continuæ mutationi sunt obnoxia.

Sub Sole] Synecdoche partis pro toto: vt infrà: Sub coelo.

Generatio] Metalepsis est, & troporum commixto. Primò siquidem est Metonymia, adiuncti pro subiecto

subiecto hominibus vnius eiusdémq; sæculi, ætatis, & memoriæ: deinde, Synecdoche, pro corporibus, terra constantibus.

V.4. *Generatio it*] Quatuor causæ constituentes corpus hominis, sunt terra, sol, aër, aqua. Terra siquidē, quoniam solidissima est, ad corporis constitutionem, subministrat materiam firmam; ex qua sunt ossa, & caro, cæteræq; compages, & ligamenta corporis. Sol verò calorem igneum suppeditat, quo seruetur corpus, & recreetur. Aër autem spiritus illos, & vitales, & animales, ac illam vehementis caloris vim sedat. Aqua denique sub humore calorem ardendem pascit. In hac tamen enumeratione, ad illud. 1. cap. Gen. respexisse videtur.

Generatio it] Anaphora incisorum.

Terra autem in æternum] Synecdoche; pro, longum tempus, à Deo definitum: vt Exod. 21. Et seruiet in æternum. Id est, Iubilei tempus, Statio propriè terræ conuenit: neque hîc cùm Copernico, de motu terræ, litigare volumus. Hieronymus hæc annotat. Quid hac vanius vanitate est, quàm terram manere, quæ hominum causa facta est; & ipsum hominem, terræ dominum, in puluerem repentè resolui?

Oritur sol] Hîc loco ignis attexitur Sol. Neque enim ad corporis structuram ignis adhibetur: neque illa eius, quamuis exigua mentio fit: quod mirificè congruit, cum ea enumeratione principiorum,

& cauſarum cæterarum, ex quibus conſtant reliquæ res conditæ. Gen. 1. Quare videndum diligenter eſt, ne Philoſophi illa ſua quadriga elementorum trahant nos in errorem abſurdisſimum. Sunt qui reijciunt ignis elementum, cùm optica a nobis ſtet: verùm hac de re, viderint Phyſici.

Oritur Sol] Cauſæ procreantes hominis explicatæ ſunt, quæ eædem ſunt & conſeruantes. Nam terra producit ea, quibus victum, & indumētum ſibi paret homo ad hāc vitam ſuſtentandā: ſol viuifico ſuo colore, frigus ab eo arcet, & ignem miniſtrat, quo ad omnes ferè res vtatur: Aëris verò quanta ſit vtilitas, vel ex eo perſpicuum eſt, quòd maxima alendæ vitæ pars, in aëris attractione poſita ſit. Aqua deniq; quātas præbeat commoditates, ad noſtri corporis tuitionem, nemini non expoſitum eſt.

V. 5. *Oritur Sol & occidit*] Altera inductionis pars, de ſolis vanitate, approbatur ex priuantibus, ortu & occaſu Solis: & ſubiectis locis, quos peragrat, auſtro, & ſeptētrione. Motus ergo ſolis, qui eum nobis orientem exhibet, & eundem occidentem facit, celeritatéq; ſumma ad locum ſuum tendit, ex quo rurſus oriatur, vt aſcendat ad Auſtrum, & ad Aquilonem deſcendat, eius vanitatem conſpiciendam præbet. Quare tanta ſolis mutatio, miſerabilem arguit humanæ, naturæ cæcitatem, horrendámq; perturbationem mētis, atq; caliginem hominū, quos hoc Dei præpotentis factum, licet admodum

admirabile,

admirabile,atq; pulcherrimum , pro Dco habere , non puduit . Agnoſcamus igitur miſeriam noſtram;a Deóq, petamus,ne eadem inſania, paríq; furore,ſinat nos laborare.

V.5. *Occidit Sol*] Epiſtrophe dictionis,in fine ſententiæ repetitæ.

Shoeph] Anhelans,Tranſlatio eſt ab animalibus,quæ propriè,cùm de via,aut labore feſſa ſunt,& ad exitũ itineris accedunt, tracto ſpiritu,ad finem viæ anhelantia, properant &feſtinant: ſic Sol, nocturnum iter celeritate incredibili,cõficere arbitratur, vt rurſus in ortu nobis appareat.

V.6. *Luſtrans vniuerſum*] Tertia enumerationis pars eſt de Aëre;cuius imméſa vanitas ex effectis, vehementibus venti circuitionibus, & anfractibus, qui eaſdem vias it,rediítq;,confirmatur.

Sobeb ſobeb] Circuiens,circuiens,] Elegans Epizeuxis , ad exprimendam admirabilem ventorum vim, & velocitatem.

Ventus] Bis in fine ſententiarum iteratus, epiſtrophen,ornamentum non vulgare , nobis præbet. Non deſunt,qui priorem huius verſiculi partem, quam nos Soli attribuimus, de vento intelligant : quæ licet vento ſubtiliter accõmodari poſſit,ex Ariſt. metheoris, qui ventos ex angulis oppoſitis ,ad angulos contrarios flare aſſerit; attamen verò propriùs accedit,eam de ſole interpretari, vel ſola diurni ſolis itineris experientia, qui

qui ex ortu, per meridiem, ad septentrionem cõuertitur.

V.7. *Omnia flumina intr.*] Extrema vniuersæ enumerationis pars est de aqua, quæ suam vanitatem exstremam, ex summa concitatione fluminum, rapidè in mare dilapsorum; & ex mutua reuersione, per alios meatus ad suos alueos, per quos ferebantur, luce clariùs indicat.

Omnes torrentes] Synecdoche speciei pro genere: vt rapido fluminum cursu, mutationem aquæ, & inanitatem declaret.

Reuertuntur] Non propterea quòd Solis vi & calore, vapores eleuentur in aëra, ex quibus quæ pluuiæ in terram decidant: vti subtiliter à R. Aben Ezra excogitatum est: sed, quòd ea sit maris & fluminum propria & insita affectio, vt cùm flumina in mare lata sint, mare per alias vias, terræq; venas, ea rursus in suos alueos remittat; ne terra humore vacua exarescat. Quod diuinæ prouidentiæ opus, & ineffabile decretum, admirari magis ac venerari decet, quàm sine fructu & cùm temporis dispendio, vanas & inutiles Philosophorum, & præsertim Aristotelis (quòd bona cùm venia tanti viri dictum sit) hac de re, opiniones confutare.

Omnes res laborant.] Anaphora repetitæ vocis, fortasse poterit & sic reddi: Omnia verba defatigata sunt. Ita vt non solùm res eæ, quæ sunt constantissimæ, vt cœlum, aër, aqua, & terra; è quibus homo factus est, in vanis numerentur: sed etiam ea, quæ longè præstantissima

issima habentur. Qualia sunt, sermo intuitus, & audi-
io, quæ sunt instrumenta declarationis, & agnitio-
is. Aben Ezra transitiua significatione interpræ-
atur sic: Omnes res fatigant nos, & lassitudinem in
obis ingenerant: quæ interpretatio non satis cum
ente Solomonis quadrare videtur.

Quid est quod fuit?] Anaphora membrorum & po-
ptoton verborum.

Non est omne nouum] Idiotismus nihil est noui.

Est res quam] Prosopopœia.

Quæ fuit.] i. quæ fuerunt, conuenit cum sensu.

Est ne res] Dialogismus. Prolepsis integra, in
ota hac disputatione continetur: Cui responsio
bijcitur, è parium comparationibus tribus.

8. *Cunctæ res difficiles*] Claudit generalem, de
rum primarum vanitate, inductionem, ex adiuncta
rum omnium defatigatione, & lassitudine, qua la-
orant: earum verò labores non persequitur, ob ir-
itum vanúmq; studium, quod in ijs tractandis, &
ognoscendis poneret. Studij autem vanitas au-
etur, ex impotentia, & difficultate causarum trium;
uarum ministerio vtitur, ad res omnes & declaran-
um, & intelligendum. Hæc porrò sunt sermo,
ntuitus, & auditio: quæ illustrantur ex subiectis
bus, in quibus versantur. Omnes denique
s vanæ sunt, & inanes; omnes defatigationem
& lassitudinem experiuntur, quarum labores percen-
sere

ſere inane nimis eſſet, & ſuperuacaneum; cùm ij neq; verbis explicari, neq. oculis videri, neq; auribus percipi poſſunt. Alij aliter exponunt, neq; ad rei difficultatem referunt; ſed ad vanitatem verborum, oculorum, & aurium: quòd ea inconſtantia, quæ eſt in loquendo vana ſit: & inanis ſit, inexplebilis illa videndi cupiditas: ac vana demum ſit, auiditas illa audiendi inſatiabilis, nam auemus ſummópere, & de rebus nouis proloqui, & nouitatis videndæ & audiendæ deſyderio tenemur.

V. 9. *Quid eſt quod fuit.*] Ex tribus parium comparationibus, amplificat inſitã in rebus omnibus, ſiue præteritis, ſiue præſentibus, ſiue futuris vanitatem ſummam. Singulæ autem collationes, totidem cauſis adminiſtris quibus vanitas proditur, reſpondẽt. Prima ſermoni; ſecũda aſpectui; tertia deniq; auditioni. Ac vnam eandémq vanitatem, in cunctis rebus fuiſſe, eſſéq; futurã oſtendit quæ in ijs rebus ineſt quæ adſunt, & preſentes ſunt. Prima ſic explicabitur: Ne nobis perſuadeamus, rem quampiam nunc eſſe nouam: id quod fuit, erit; & id quod factum eſt, fiet impoſterum. Iuxta Terentianum illud: Nihil eſt iam dictum, quod non ſit dictum priùs.

Nec valet quiſquam dicere] Altera parium comparatio eſt, quæ reſpicit ad ſecundam cognitionis cauſam adminiſtram, oculos videlicet. Noui item nihil videmus. Id enim iam antegreſſis temporibus fuit: quare ſi id quod nunc aſpicimus, vanum eſt, fuit & ex æquo id, quod à maioribus noſtris cernebatur.

N

Non eſt priorum memoria] Poſtrema collatio pa-
tium eſt , quæ ad poſtremam rerum percipiendarum
cauſam adiuuantem refertur, auditum nempe : Tanta
erit rerum noſtrarum apud minores noſtros memoria,
quanta eſt nunc nobis rerum priorũ recordatio. Quam-
obrem cùm par eadémq; ratio vanitatis ſit , in rebus
præſentibus, quæ in rebus anteactis fuit , & viciſſim in
rebus ſequentibus futura eſt , deſinamus mirari atq;
obſtupere, ad rerum nouitatem , quam ipſi nobis fingi-
mus, & perſuaſum potiùs habeamus quàm vanæ & in-
anes , res omnes mundanæ ſint, ne in illis animi quie-
tem & tranquilitatem poſitam eſſe exiſtimemus.

V.12. *Ego Eccleſ. fui Rex*] Declarauit hactenùs So-
lomon, ex aſsidua mutabilitate cauſarum, res mundanas
conſtituentium, ſummam in illis vanitatem ineſſe : per-
git deinde enumerare eas res, conatus, & ſtudia , qui-
bus homines dant operam, quibúſq; maximè delectan-
tur. Ac ex coniunctis cum illis maioribus incommodis,
quàm commodis, eas pariter inanes eſſe concludit. Cæ-
terùm, ne homines eas, tanquam vanas , & inutiles de-
ſerant; Legitimum earum vſum breuiter tradit . Porrò
quia homines, non tàm facilè fidem adhibent iis verbis,
quæ eos à ſententia falſæ, anticipatæq; opinionis, quàm
de rebus humanis habent, amouere conantur, ſuam ex-
perientiam Solomon in medium adducit , tanquam
teſtimonium certiſsimum, quo eos de vanitate rerum
certiores faciat. Experientiam autem ſuam , longúmq;
rerum

rerum vſum, ex humana ſapientia, maximáq; potentia, (quæ duæ cauſæ teſtimonijs authoritatem adiungunt,) veriſsimam fuiſſe probat, & laudat.

V. 13. *Et propoſui in.*] Quanta cura diligentiáque, veritatem de vanitate rerum, deprehenderit, confirmat ex adiunctis, ſtudio, & ſapientia: & ex ſubiectis, rebus mundanis omnibus, in quibus, nihil aliud, quàm meram vanitatem reperiſse demonſtrat, ex circumſtantia incommodorum; quia inuenit multa inepta, & peruerſa, quæ nulla ratione aptari; multos defectus, qui nullo modo numerari poſſent. Atq; hîc incipit prima pars, generalis atque precipuæ inductionis, quam deinde, per quatuor partes ſingulares explicabit, vt rebus tractandis maiorem lucem afferat. Porrò Parentheſis, interpoſitione aperit cauſam huius inanis moleſtiæ; atque occupationis, in qua homines verſantur, Deum eſſe aijt, qui eam hominibus præbuerit, finem etiam, cuius gratia id, fecerit, vt homines in ea ſe excerceant, aſsignat. Meminerimus has eſſe peccati pœnas.

Verſ. 16. *Locutus ſum in*] Prima pars generalis inductionis eſt, de ſapientia, & ſcientia; quòd hæ pariter vanæ ſint, & inanes. Huius autem rei ratio eſt, ex adiunctis comitibus indignatione, & dolore: quæ ſecum afferunt ſapientia multa, & multa ſcientia. Sed ad ampliorem fidem eorum, quæ dicenda ſunt, præponitur & iteratur, commendatio, ex adiunctis, potentia, & Sapientia; ex minorum collatione

ampli-

nplificatis; quòd potentior, & ſapientior fuerit, cun-
lis alijs regibus, maioribus ſuis : & ſtudio ſapientiæ,
effectis approbato; quòd ſapientiam, & ſcientiam
ultam introſpexerit; quòd in penetralia inſaniæ, &
ltitiæ ingreſſus fuerit; nihil deniq; intactum relique-
t, quod ad parandam rerum cognitionem faceret. Et
apparcat quàm facilè factu hoc illi fuerat, ſuam regi-
n dignitatem in medium adducit: cùm ait.

Ego eccleſ. fui Rex Iſra. in Ieruſ.] Ex hoc etiam lo-
colligi poteſt, quàm abdita exquiſitáq; doctrina fue-
it. Nam à teneris à Dauide Patre eruditus, à Na-
hane Propheta inſtitutus, & in ea natione, populóq;,
ui ſolus verum Deum agnoſcebat; iuxta illud Pſalmo-
raphi: Notus in Iudæa Deus, & in Iſraël Magnum no-
nen ejus. Ac quamuis populus Iſraëliticus, alias gen-
s ſapientia ſuperaret; attamen Hieroſolymorum vrbs,
æteris vrbibus doctrina, & eximijs dotibus, propter
ebram verbi diuini annunciationem, longè præſtabat.
ignificanter igitur & Rex, & ſuper Iſraël, & in
Hieruſalem dicitur.

Hanc occupationem malam] Per metonymiam,
quòd cauſa pœnæ ſit, moleſtiæq; plena : vel etiam,
quòd mala ex ſeſe ſit, vt peccatum peccato Deus punire
nonunquàm ſolet.

Regnut ruac] Paſtio venti. Sic Hieronymus,
& mea quidem ſententia, rectè: vt permaneat in
odem metaphoræ genere, alij vertunt; ſpiritus tor-

mentum, vtramq; complector in Paraphrasi.

Sub cœlo] & sub sole idem; nisi quòd Sol, per Synecdochen antonymaticam, cœlum significat; quòd pars sit eius præstantissima.

Huius occupationis malæ, duæ ponuntur causæ efficientes: vna, Deus, qui eam condidit, vt creaturam bonam, & suæ iusticiæ administram: altera, homines sunt, qui sua prauitate, eam malam faciunt; &, quod miserabilius est, se ab ea castigari, non sentiunt.

CAP. II.

Vers. I. D*Ixi ego in corde.*] Cùm in sola sapientia, quietem animi non contineri, perspiceret Solomon, aliam viuendi viam ingreditur, ac omninò relicta sapientia, totum se iucunditati dat: verùm ex gaudio, risúque, nihil aliud, quàm insaniam reportat. Vnde factum est, vt & gaudium, & lætitiam, vanitate metiretur.

Dixi.] Prosopopœia.

Libem] Metaphora sumpta à sacrificijs, in quibus crateras coronant vino; sic vt exundent, ad maximam gaudij affluentiam significandam.

V.2. *Risui.*

V. 2. *Risui.*] vel de risu: sic lætitiæ, vel de lætitia dixi, vbi plus efficacitatis est, in illa auersione, & personæ mutatione.

Vers. 3. *Cogitaui in corde meo protrahere*] Sola sapientia, sola itidem voluptas, animum Solomonis pacare nequeunt; ergo de tertio vitæ genere cogitat; sapientiámque cum voluptate coniungit. Itáque in omne genus voluptatis sese dat, vnáque sapientiam amplectitur, tantisper dum illam, quam tantopere requirebat, mentis tranquilitatem, ac fœlicitatem consequeretur. Sed ex hac coniunctione sapientiæ & voluptatis, aliud nihil obtinet, quàm vanitatem. Depingitur graphicè mundanorum sapientum studium.

Limsoc.] Protrahere in vino carnem meam; id est, largiùs bibere, quia tunc temporis venæ distenduntur, corpúsque sanguine impletur, ac caro trahitur, ac dilatatur. Emendanda igitur est vulgata translatio, quæ vertit abstrahere. *Masac*] enim protrahere, & diducere significat.

In Vino.] Synecdoche, pro voluptate.

Carnem meam] Synecdoche pro corpus meum. Sed hoc sanè maximè perpendendum est, quàm singulare donum Solomons fuerit, vt in medijs voluptatibus sapientiam retineret: vt ipse posteà gloriatur.

Magnificaui opera] Hac tertia vitæ ratione,

 Solomon

Solomon rem familiarem auget, & opulentiam parat: quæ continetur vel in ædificijs; vel in in agricultura, vt in vineis, in hortis, paradisis, & siluis; in piscinis, ad siluarum arbores irrigandum: vel in familia, & peculio: familiæ sunt serui, ancillæ, vernæ ex vtrisq; nati: peculij, vaccæ, & oues: vel in thesauris, & diuitijs, auro, argento, opibus, seu supellectile varia, & copiosa: vel quæ ad magnificentiam regiam spectant, qualis est musica; cuius sunt cantores, & Psaltriæ, & exquisitissima instrumenta musica, quæ siddah, & siddoth à quibusdam appellãtur. Sunt etiam, qui exponant, mulieres pulcherrimas, in bello captas; quæ, quia à principuis viris deligerentur è præda, deliciæ hominum appellantur. Alij verò mulieres lectissimas, honorabiles, ac venustas à saddaim quæ mammas significant; quòd in mammarũ decore, & positione decenti, sit non ineligãs pulchritudo: alij, vt vulgata interpretatio, sciphos, & vrceos: alij deniq;, voces hebræas malunt retinere; & quoniam de cantoribus, & Psaltrijs verba fecerit, ad instrumenta musica suauissima referunt, quibus nonnulli capiuntur Reges; quæq; ab ijs in delicijs semper haberi solita sunt. Quæ quidem interpretatio, satis ad Solomonis propositum respondet.

V.4. *Magnificaui*] Prolixa paranomasia est, interdum soni, interdum vocis, in his præteritis, initio orationum repetitis, tum in incisis, membris, & clasulis. De ijs omnibus Solomonis factis, vide Regum libros.

V.5 *Gannoth*

V.5 *Gannoth*] Propriè horti ſunt, ad flores, olera, herbas, & arbores fructuoſas deſtinati. *Pardeſim.*] Paradiſi (quam vocē Græci mutuati ſunt ex Hebræis) ſiluæ tantùm ſunt, arbores vnius ſolùm generis producentes; & voluptatis, & deliciarum gratia conſeruntur.

V.6 *Berecuth*] Piſcinæ, vel viuaria, ad irrigandum ex eis ſiluam, germinantem arbores: quæ periphraſis eſt paradiſorum, ex eius factis. Hiſpanicum meum idioma albercas vocat, fortaſſe ex Hebræis deriuans.

V.7 *Filij Domus*] Periphraſis vernarũ, qui ſerui ſunt, domi ex ſeruis nati. *Vacca & ouis*] Synecdoche & numeri, & ſpeciei; pro peculio armentorum & gregum.

V.8 *Argentum & aur.*] Diuitias, vel opes ampliſſimas,

Segullah] Aut peculium rarum & exquiſitum, aut ærarium, in quo reconduntur theſauri, & gaza. *Tagnanugoth*] Delicias, oblectationes: & ad præcedētia, & ſequentia referri poteſt. *Filij hominum*] pro homines; idiotiſmus, à quo Græci non abhorrent.

V.9 *Magnus euali*] Hîc non tranſitiuè ponitur, cùm ſuprà tranſitiuè vſurpaſſet. *Præ omnibus, qui fuerunt ante me.*] Claudit illuſtri diſſimilium collatione, ſpecialem illam inductionē factorum ſuorum, in quibus ſapienter verſatus fuerat; quaſi diceret: tametſi ſic me in factis meis geſſerim, vt omnes Reges, maiores meos, qui regni Hieroſolymitani gubernaculũ, clauúmque tenuerunt, rerum magnitudine, emolumēto & am-

plitudine, longo interuallo post me reliquerim: attamen (quod magis admirandum est) in tam egregijs, gloriosis, diuinísq; factis, semper mihi sapientia adfuit, nunquam à me abfuit.

Gnamedah li] Tamen sapientia mea stabat à me.

Mea] Sapientiam appellat suam, per Synecdochen: propterea quòd ipsum Deus sapientia, tanquam singulari quodam beneficio, & munere affecisset.

Stabat.] Metaphora à terra, rebúsque firmissimis, quæ propriè stare dicuntur. Inde translaticiè sapienti menti Solomonis, munere diuino adstitisse accomodatur. Vel adstabat.

V. 10. *Et omnia quæ desiderarunt*] Proposuit superiùs, sed mentis quietem indagandam coniunctarum sapientiam, cum voluptate: quare commemorata sunt ab eo ad huc facta ea, in quibus sapientia elucet: nunc præcipuas causas administras, & instrumentales recenset, quibus voluptas percipitur. Eæ autem sunt oculi, & cor; quæ genus omne voluptatis excipiunt, & ad animum transmittunt. At verò, quamuis ad eam, quam mirum in modum exoptabat, animi tranquilitatem ac fœlicitatem non peruenerit; attamen commodum, fructúmq; nõ vulgarem, neq; contẽnendum asserit se reportasse: lætitiam nempe, & hilaritatem; cùm rerum, à Deo conditarum vsum, libenter hilaritérque

acciperet

acciperet. Quod nobis ad imitandum exemplum propositum sit, vt hilari, gratóq; animo fruamur rebus omnibus, Dei munere nobis concessis. Et generalem demùm conclusionem ponit, se nihil aliud expertum fuisse, tum in factis, & laboribus suis, quàm vanitaté, & venti passionem; seu mauis spiritus tormentũ, atq; cruciatum.

Gaudio] Synecdoche, pro omni voluptate.

Hæc fuit portio] Metaphora ab hæreditatibus, quæ per partes distributæ, portio sua hæredi cuiuis tribuitur. Aut sors, ex translatione à mercatura, in qua mercatores sortes suas exhibent, vt ex illis posteà æstimentur. Idem etiam obuenit in hæreditatibus herciscundis; cùm non benè conuenit hæredibus inter ipsos, de portionum æqualitate & præstantia.

V. 11. *Tandem Respub. in facta, &c, in laborem*] Interesse inter facta & laborem arbitror, quantum opus ab opera distat. Factum siquidem iam perfectum suísq; numeris omnibus absolutum est: at labor & opera est effectio, quæ ad efficiendum sumitur, tanquam quædam operis factíq; inchoatio. Quod & Solomon innuit, cùm laborem tanquam medium facto præponit. Ergo non solùm perfectio, sed ipsa etiam effectio vana est & inanis.

V. 12. *Nihilom. respexi ad contempl.*] Prolepsis est, qua disputat de discrimine sapientis & stulti. Verùm prudẽter sanè hoc loco collocatur occupa-

tio: nam cùm anteà ſapientiam, ſtultitiam, voluptatem, & ſapientiæ, & voluptatis permixtionem in vanis poſuiſſet, obijceret meritò quiſpiam: nulla ergo inter ſapientiam & ſtultitiam diſsimilitudo eſt? Obiectionem hanc minimè contemnendam quidem illam ex parium comparatione diluit, & tàm inter ſapientiam, & ſtultitiam intereſſe pronunciat, quàm inter lucem & tenebras intereſt. Porrò vt huius occupationis reſponſio etiam atq; etiam commendetur, interponitur Parentheſis, qua præſtantiam & eminentiam ſuam, præ alijs amplificat ex minorum comparatione. Quaſi diceret: Ecquis mecum comparandus eſt? Ecquis eſt is, qui adeò exactè de rebus iudicare poterit, ac ego, qui Rex ſum, & potentiſsimus, & ſapientiſsimus. *Quia quid homo, qui veniat poſt regem, quem iam fecerunt?*] De ſe per auerſionem loquitur: vel, ſi mauis, ita reſoluito: Nam quid eſt homo, qui veniat poſt regem in eo, quod iam fecerunt? *Sub facientes*] id eſt, quod geſtum eſt ab hominibus ſtultè vel ſapienter? Quaſi diceret: Quis eſt homo ille priuatus, qui meliùs & exactiùs perſpicere poteſt, quæ geſta ſunt, quàm ego, qui ſum rex. Hìc notemus differentiam inter diſputationem philoſophorum de ſummo bono, quæ rationibus & ſyllogiſmis tantũ ventilatur; & hanc Solomonis tractationem, quæ nõ ſolùm apertis rationibus, ſed etiam proprijs experimentis illuſtratur: atq; etiam oſtenditur, quis vſus legitimus poſsit eſſe earum rerum,

quæ extra fœlicitatem, ad honeſtam, voluptatem mortalibus a Deo conceduntur. Quod alta mente reponendum ſentio in tota hac diſputatione.

Verſ.13. *Sapi.*] Quamuis omnia huius vitæ opera vanitas ſint; attamen ſapientiæ excelſitas ſumma eſt, quæ ſignificãter luci aſsimulatur, qua quicquid eſt in rebus bonum & eximium Hebræi non minùs aptè quàm verè exprimunt: è contrario extremum in malis tenebrarum voci eleganter accomodant.

V.14. *Sapientis oculi ſunt in cap.*] Diſsimilitudo qua redditur, ratio differentiæ inter ſapientem, & ſtultum; verúſq; ſapientiæ vſus docetur. Sapiens oculos habet in capite, tanquam in arce, quibus præuidet quid ſequendum, quídue declinandum ſit: at inſipiens & ſtultus caret oculis, neq; nouit quid agere debeat: Verùm quamuis ſapiens ſtulto præſtet; attamen eadem ſapienti & ſtulto obueniunt. *Oculi eius.*] Abundat reciprocum nomen ex idiotiſmo: pro ſapientis oculi: quæ allegoria eſt à præſidio & ſpecula ſumpta. Sapiens prouidentia vtitur, qua caret ſtolidus. *Euentus.*] Generaliter ſumitur pro proſperitate & aduerſitate: hìc tamen ad infortunia propendet. *Vnus*] Idem, par, & æqualis.

V.15. *Et dixi in corde.*] Ex tribus finalibus cauſis quibus homines mouentur ad ſapienter & prudenter laborandum, diſſerit, quàm anxia ſit eorum ſolicitudo.

Fines autem hi ſunt: Aut enim ſapientiæ ſtudent, vt euentus caſúſq; rerum humanarum deuitent, neque in calamitates, mortalibus ferè omnibus communes, incidant: aut, vt nominis immortalitatem poſteris commendent: aut denique vt ea, quæ prudentia ſingulari, & labore incredibili pararunt, liberis ſuis relinquant. Quæ omnia inania & futilia eſſe concludit. Ac primùm eam ſapientiam, qua humanos euentus à ſe depellere putant, vanitate non carere, & humanam eſſe oſtendit; propterea quòd pares & æquales ſunt ſapientum & ſtultorum euentus.

V. 16. *Deinde non erit memoria*] Altera finalis cauſa, quamobrem homines in laboribus ſumma cum prudentia laborant, eſt; vt ſuum nomen immortale faciant: quam etiam vanitatis ſummæ plenam eſſe demõſtrat; idq; ex circumſtantia obliuionis, quæ res omnes, temporis progreſſu delet, & obliterat. V. 17. Itáq; vitam ſuam tantùm non odio proſequitur.

V. 18. *Præterea deteſtatus ſum*] Tertius & poſtremus finis fuit induſtriæ laboríſq; humani, vt bona ſua liberis ſuis hæreditate obuenirent. Hunc autem finem vaniſſimum eſſe contendit, ex adiunctis duobus incommodis; quæ (maximæ parentum) animos frangere & debilitare ſolent. Vnum eſt, quòd ſua bona relinquunt liberis, quos ignorant ſapientéſne, an ſtulti futuri ſint. V. 19. Alterũ eſt, quòd facultates & opes, quas ſummo labore & induſtria pararunt, homini neque induſtrio,

dustrio, neque laborioso traditurі sunt; quæ duæ res adeò graues & molestæ sunt hominibus, sapientia & prudentia tantùm humana præditis, diuinóque spiritu destitutis, vt animam prorsus despondentes, de labore abijciendo, apud se constituant. Præsertim si accidet, quod aliquando solet euenire, vt eorum, opes, quas sapientia, scientia, & æquitate acquisiuerunt, in manus veniant eorum, qui nec filij, nec sanguine, nec affinitate sunt coniuncti: quæ res eorum animos vehementer excruciat. Hoc autem prudentia quadam diuina, à Solomone sic dispositum est, vt ostendat rerum mundanarum legitimum vsum, & homines ab anxijs solicitudinibus arceat. V. 15. *Sicut euentus stolidi*] Sic similitudo explebitur, & offensio Hebraismi vitabitur: *Quemadmodum stolido euenit, ita eueniet mihi.*] Prosopopoeia, & reuocatio sui ipsius, per apostrophen. Vers. 16. *In seculum*] Tempore siquidem & morte omnia obliuioni traduntur; nulla amplior recordatio de sapiente, quàm de stulto.

Vers. 16. *Omnium*] fortasse meliùs ad sapientem & stultum accomodabitur. Vulgatus interp. omisit coniunctionem.

Nam;] quæ tamen non est omittenda.

Vers. 19. *Deinde quis noscit.*] Veluti Parenthesis interponitur hæc sententia & ad vrgendum, & ad continuatæ narrationis fastidium leniendum.

Vers. 20. *Et*

V.20. *Et redij*] Vel ex hoc loco perſpicuum ſatis eſſe poteſt, quam perſonam agat Solomon; nempe eam quæ totam ſpem ſuam reponebat, in factis & laboribus, ſapientiæ tantùm & prudentiæ humanæ innixis : Sic etiam directio, ſeu rectitudo ea eſt, qua ad res ex animo & ſententia conficiendas vtimur, ſine fraude, & dolo aliorum; non tamen ea, qua Deus nos rectos facit, & bonos. V.21. Hic igitur ſapientia, prudentia, rectitudo deniq;, humanæ quædam virtutes ſunt.

V.22. *Igitur quid proderit.*] Suſceptam inductionem de laboris humani fructu, ex eius neceſsitate concludit Solomon, in hunc modum: ſi nihil aliud homini ex cunctis laboribus ſuis reliquum eſt, quàm rerum mundanarum vſus, ijs vtatur, fruatur, neceſſe eſt. Sed nihil aliud ei reliquum fecit Deus; igitur fructu rerum contentus ſit homo. Enthymema tantùm eſt, ex aſſumptione, & complexione. V.23. Aſſumptio priore loco collocatur, aucta ex circumſtantia adiunctorum, dolorum, & indignationis occupationis, quæ labori nunquàm non adſunt: ſiue interdiu, ſiue noctu laboret: vnde perficitur, id etiam ſummam merámq; eſſe vanitatem.

V. 24. *Nonné meliùs eſt comedere.*] Complexionis ſententia, quare homo rebus labore ſuo partis fruatur; quia nihil aliud ei prouenit ex labore ſuo. Vbi ſignificanter, & eleganter exprimitur per hoc dicendi genus; quòd duas voluptatis honeſtæ partes complectitur,

ur, ex quibus reliquæ intelliguntur. Corroboratur au-
em conclusio, ex efficiente causa legitimi rerum vsus,
Deo donante; & administra, seu instrumentali, homine
aborante, per apostrophen ad seipsum exornata. Bo-
num ergo homini est edere, & bibere, &, vt anima eius
bonum videat: quòd hoc Dei donum sit; & quòd is la-
boris sui fructum percipere debeat.

De manu Dei est.] Res sanè perpendenda; co-
medere, bibere, frui deniq; vitæ commodis, Dei nobis
munere, ac beneficio contingit: vnde parum, vel nihil
potiùs de laboribus nostris gloriandum reperiemus.

V.25. *Nam quis comedet?*] Hæc interrogatio ma-
gis præponderat, quàm si simpliciter dictum esset, q.d.
Ecquis iustius rebus, labore meo partis, fruetur? ecquis
festinabit: vel, quis properabit, & antecelerabit ad oble-
ctandum se in illis rebus, præter me? Vel ex quorundam
interpretum sententia, in persona Solomonis, vt ipse di-
cat: Ego Rex sum, qui diuitijs opibúsq; plurimis abun-
do: quare ego meliùs alijs, delicijs affluam: vel curabo
voluptati dare operam. Aut, quis me rectiùs expe-
rietur, & sentiet oblectationem, & voluptatem? Re-
spondet igitur hæc sententiæ pars, præcedenti versiculo.
Non est bonum &c.

V.26. *Certè homini bono in conspectu*] Dissimi-
litudo ad conclusionis illustrationem adhibita, admira-
bilem Dei bonitatem erga probos viros, erga improbos
incredibilem, sed iustam seueritatem ostendit. Enimue-
rô Deus

ròDeus opt.max.bonos & probos complectitur, & eos ſapientia ad res parandas, ſcientia ad ijs vtendum, & lætitia ad ijs fruendum, afficit. Peccatorem verò punit, anxia occupatione colligendi, & congregandi res, in vſus hominum bonorum, & Deo placentium conceſſas. Is autem homo bonus eſt coràm Deo, quem primùm ipſe bonum facit, factúmq; á voluntate, & obſequio Dei ipſius, ne latum quidem vnguem diſcedere, aut aberrare ſinit. Huic Deus, quia ipſi charus atque dilectus eſt, largitur omnia ea, quæ ad hanc vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt: vt ampliùs perſpicitur ex diuinis illis Ieſu Chriſti Domini noſtri verbis, quibus ab hac moleſta rerum parandarum ſolicitudine remouebat, inquientis: Primò quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis. Fructus autem huius regni ſunt ampliſsimi: iuſtitia, gaudiū, & pax in Spiritu ſancto, qui verè animum tranquillant. Ex hoc diſcrimine cuiuis cōſtare facilè poteſt, quàm vtilis hæc Solomonis concio ſit. Viro ſiquidem bono ſapientia, ſcientia, & gaudium, ad rerum vſum conceditur à Deo opti. max. malo verò moleſta cura, & cor illius arrodens, immittitur; vt congreget & cumulet ea, quibus frui non debeat.

CAP.

CAP. III.

Verſ. 1. O*Mnia tempus habent*] Etſi ἀκολουθία harum ſententiarum cum ſuperioribus varijs modis annotatur ab interpraetibus: ego tamen, ſaluo aliorum iudicio, cum praecedentibus iſta conneẞo: & ad ſecundum membrum generalis partitionis pertinere exiſtimo. Etenim nihil non agit Solomon, vt doceat homines quemadmodum anxiam occupationem, eos diſcruciantem, ex animis ſuis deponant: & toti in eam cogitationem incumbant, vt rerum vſum legitimum & tempeſtiuum percipientes, Deum timeant. Quod vt perficiat, rerum conditarum ordinem, conſtantiam, & permanſionem ante oculos ponit: ex quibus, tanquam cauſis, cognoſcant, rationes animos ſuos tranquillandi, ſuáſq; actiones, obſeruata temporum opportunitate. Nihil enim magis inquietos reddit hominum animos, quàm ſi aduerſo flumine, contrarijſq; ventis ad tranquillitatis portum peruenire cõtendant.

Ordo autem explicatur, è longa rerum, ſuo tempore prouenientium enumeratione, quae quatuordecim diſſimilium collatione continetur: neque plures apponuntur, vt ex ijs, ad caeterarum cognitionem & conſiderationem ducantur. *Gneth*] Graecè καιρός, latinè opportunitas, Hiſpanicè *ſazon*, eſt maturitas, & punctum illud temporis, quo res vel ſponte & natura

& natura sua proueniunt, vt sunt res omnes naturales; vel ea occasio, quæ actionibus voluntarijs apta est. Hic enim & rerum naturalium, & actionum voluntariarum coniuncta quædam & alligata enumeratio est septimébris, ex Hebræorum distinctione: quæuis autem pars quatuor partes continet, quæ duas dissimilitudines complectitur. Non igitur, damnat.

V.2. *Rex sapientissimus actiones ipsas plantandi &c.*] sed nimiam solicitudinem.

V.3 *Occidendi*] Synecdoche speciei pro genere: cædendi.

V.4. *Saltandi*] ad tibiam, cantum vel numerum.

V.5 *Proijciendi*] Hebraicè mittere faciendi.

V.6. *Quid superest facienti*] Quid commodi capiendum sit ex hac tanta rerum varietate & vicissitudine, quídue incõmodi fugiendum, dignoscetur ex hoc collatione dissimilium occupationum; in quibus homines versantur.

V.10. *Vide occupationem*] Anxiam occupationẽ, quæ ponitur in rerum exacta cognitione, missam faciendam esse docet. Mundus siquidem non in hunc finem à Deo factus est; sed huius rei gratia, vt viuamus, ac labore nostro fruamur. Protasis præcedit, confirmata ex efficiente causa occupationis anxiæ, Deo; & fine, dissimilium collatione illustrato. q. d. Quamuis Deus mundum admirabili pulchritudine exornauerit, eumq; in hominum disputationem & considerationem cadere voluerit

it; attamen suorum operum rationem ignotam esse voluit.

Quid superest.] Inductionis conclusio.q.d. Hæc quæ hactenùs commemorata sunt, homines factitant; nihilq; habent reliquum.

V.11. *Omne fecit pulchrum*] Respicit illud, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & omnia erant valdè bona. Gen. 1.

Hagnolam.] Seculum, ætas, vel longa temporis duratio est (velut alij volunt) rerum creatarum reuolutio, per acciduum motum renouatio: nunc per metonymiam adiuncti pro subiecto: alij volunt hîc significari rerum creatarum rotationem.

A capite] Metaphora ab hominis principe membro, pro initio, à principio vsq; ad finem.

Porrò quod ad istam rerum perpetuitatem ex assiduo motu attinet, Socrates in Thæteto ex Protogorea sententia hanc affert doctrinam: ex duabus motus formis, quarum vna agit, altera patitur, multiplices fœtus nasci in rerum natura, id est, variáque effecta produci, atque adeò omnes res in perpetuo motu versari, quod ibidem multis exemplis illustrat. Verba Platonis hæc sunt. Hoc vniuersum planè motus est; & præter illum motum nihil aliud. Motus verò duæ sunt species, & multitudine quidem vtráque infinita; quarum vna potentiam habet agendi, altera patiendi. Ex mutuo verò istorum congressu, & quasi attritu, nascantur fœtus numero quidem infiniti, specie verò gemini; sensilis, &

sensus; qui semper vnà cum sensili, & cadit & generatur &c. Sed hac de re viderint philosophi.

Vers. 12. *Et cognoui*] Antapodosis, & redditio dissimilitudinis, quòd ea vera sit, non inchoata, sed perfecta rerum omnium, à Domino formatarum cognitio, cùm lætamur, & in vita benè agimus: cùm edimus & bibimus, & bonum videmus ex labore nostro. V. 13. Hoc est cùm rebus quas labore nostro acquisiuimus, fruimur, hocq; Dei donum esse agnoscimus.

V. 14. *Didici quòd omnia opera*] Altera causa ad leuandum homines anxia cura, & solicitudine rerum, & cupiditatum, fuit constantia, & permansio eorundem, quæ comprobatur ex modo, quem in sui effectione tenent: ad eum enim modum, quò conditæ sunt, permansuræ sunt; neq; ijs quicquam aut addi, aut detrahi potest. Quæ omnia eo tendunt & spectant, vt ex iis Dei potentiam infinitam agnoscentes, eum timeamus: quod si fecerimus, eam, quam in rebus creatis quietem quærimus, dubio procul inueniemus. Duratio deinde, tertia & postrema causa ponitur, ex quo perspici nobis erit integrum, id, quod fuit, esse; & quod est, & fuit, idem futurum in posterum: nec miremur, & ob id perturbemur. Præterea hoc conueniri videtur cum eo, quod Cap. 1. dictum est de effectione mundi. Vnde fortassis illic non tam mundi elementorúmque vanitatem ostendere vult, quàm certam harum rerum constantiam, quæ nullam nouitatem se-

cum

m adferat. Quæ res maximè facit ad animi motus dandos.

ers. 16. *Vltra hæc vidi sub Sole in loco*] Hîc incipit (ni ego fallor) quarta generalis enumerationis rs, in qua Solomon graphicè depingit miserias & camitates, in quas incidunt ij, qui absque diuini numis metu, honores & principatus inter alios quærunt: uasi hac ratione fœlicitatem assequi possent. Hi enim æpostera sua ambitione ita res peruertunt, vt nullus cus iustitiæ sit subditis; nihil etiam ipsi tranquillitatis beant. Prætereà in diuino cultu vt multæ irrepãt corptelæ permittunt, ex prauísq; hominum opinionibus perstitiosè vt oriantur ceremoniæ, & ridiculæ potiùs uàm religiosæ.

Denique omnia ambitione sua & cupiditate etientes, iudicium habent venale & corruptelis bnoxium; quò fit, vt sontes absoluant, insontes mnent.

Huic impietati parem æquitatem reponit, vt & pios onsoletur, atque impios Reges, principes, atque agistratus ab iniusticia deterreat. Venturũ enim temus ait; cùm ambitiosi illi apud Deum iustissimũ sanssimúmque iudicem causam dicturi sint, ac tam factis, quàm de affectionibus, rationem ipsi returi.

In loco iudicij] Ad exterius opus; in loco iustitiæ, ad

ad interiorem mentis affectionem, & cupiditatem re-
fero: ex qua iniquitas oritur, & cùm iniquum iudicant
fructum verè suum producit. Ex ijs autem metonymi-
iudices impij intelliguntur, qui Dei dono, inter morta-
les maximo, impiè abutuntur.

V.17. *Elohim*] Deus: significanter positum, ad re-
tundendam iudicum impietatem. Quidam enim ta-
metsi & sint, & dicantur in Scripturis Elohim, ob com-
municatam ipsis à Deo authoritatem iudicandi; atta-
men in iudicium summi illius Elohim sunt vocandi.

Ki Gneth] Nam tempus, καιρος, &c. Respexit
ad capitis huius initium, vbi inductio est & affectio-
num, & factorum. Vt in pauca conferam, iniusti
iudices, hoc tempore, quòd illis à Deo datum est,
cupiditati suæ & libidini seruire possunt; sed in di-
iudicij exigetur ab illis, ratio eorum quæ commi-
serint.

V.18. *Dixi in corde meo*] Efferuntur mirum in modum
ambitiosi mortales, cùm vident se alijs potentiores, atq;
in eo constitutos gradu, vt alijs imperare possint; con-
trà verò discrutiantur inferioris sortis homines, anxia
quadam cogitatione, molestiam pariente, eò quòd vi-
deant ambitiosos excellere, sibiq; imperare, seque ab
istis potentia superari, multisq; modis contemni. Pes-
simam vtrorúmq; & vanissimam opinionem tollit So-
lomon, ex duabus parium comparationibus. Nam non
solùm homines, siue magistratus sint, siue subditi, inter
se sun

sunt æquales: verum etiã bestijs (quà mortales sunt) æquantur: tum quòd bestijs & hominibus vna eademq; sit adiuncta mors; tum etiam quod ex pari materia facti, in eam pariter sint reuersuri. Ex circumstantia æqualis mortis, sic enthymema concludi potest. Nulla excellentia est in homine præ bestia; ergo, omnes tum imperantes, tum obtemperantes sunt pares. Sententia complexionis præcedit, ex approbatione diuini testimonij. Probatio assumptionis præponitur, ex paris interitus circumstantia, & similium collationis illustratione. *naldibrat*] Super conditione filiorum hominum) hoc est cùm attentiùs intueor in naturam hominum. *ebaram*] Ad declarandum eos .i. vt dilucidet eos. Quod posteà declaratur, cùm addit, & iјs notum faciat, reddat perspicuum, & illustret, homines, & bestias pares esse & æquales. Nam par est interitus corporis: ex pari siquidem materia, & terra, (vti diximus) facti sunt, & ad eandem, & æqualem materiam, terram, & puluerem corpora reuertuntur, & ad idem subiectum locum, sepulchrum scilicet, redeunt.

Vers. 19. *Veruach echaa*] Et spiritus vnus, siue flatus. Differit ex circumstantia vanitatis; hominis spiritum non excellere spiritui bestiarum. Enthymema connexum, id est: Omnia vanitas. ergo; spiritus hominis excellentior non est ad bestiæ spiritum. Complexio præcedit. Vers.23. Assumptio sequitur: deinde redit ad probandum corporis interitum esse æqualem, ex

lem, ex pari ſubiecto loco, & ex eadem materia.

Verſ. 21. *Quis cognoſcit, ſpiritus filiorum hom.*] Ad retundendam tyrannorum ſuperbiam & arrogantiam, qua inter reliquos mortales turgidi, ſibi ſubditos aſpernantur veluti feruore orationis accenſus, ac tantùm non excandeſcens Solomon, de tertia hominis parte, anima nempe immortali, quæſtionem proponit; partim vt oſtendat iſtos nullam ſuæ immortalitatis habere rationem, partim vt doceat inſitam in mentibus humanis ignorantiam, & incertitudinem de animorum ſuorum immortalitate. Quam ignorationem in medium adducit, ad ſignificandam æqualitatem interitus hominum & beſtiarum; tum quòad corpus, & materiam, tum quòad formam. Verſ. 22. Sua demùm intercalari ſententia concludit id quod propoſuerat: Id eſſe in vita optimum, vt relicta imperitandi ambitione, lætus quiſq; laboribus ſuis perfruatur; eáque contentus ſit dignitatis conditione, in qua à diuini numinis prouidentia ſit conſtitutus. Hic locus maximè facit ad deprimendum Regum, principum, ac magnatum faſtum, & arrogantiam, qui nimiùm ſibi placent, cùm tamen (quà homines ſunt) ne beſtijs quidem ipſis ſunt ſuperiores.

Quare imprudenter faciunt, qui hunc librum hoc in loco impietatem docere dicunt, quòd animæ

mor-

mortalitatem affirmare videatur. Verumenimuerò id
nget Solomon, vt ostendat quanta sit hominum coeci-
is, & ignorantia, qui extra verbum Dei nihil de ani-
morum immortalitate sentiunt. Qui verò aliquid ex
s, qui verbum Dei sunt edocti, perceperunt, parùm,
dque admodum frigidè, & inconstanter, pronunci-
nt, vt plerique ex philosophis. Deinde vt eos homi-
es arguat, qui cùm Dei verbum audiuerint, eique fi-
em adhibuerint, sic se in sua potentia efferunt, vt
lios homines sibi subditos præ se flocci faciant. Ho-
um autem principum, ne dicam tyrannorum, elatio
sque adeò impia est & execrabilis, vt satis indi-
ent, se vita, facto, mente deniq; negare animæ ratio-
alis immortalitatem; quod verbis, & lingua non au-
dent.

Quid igitur mirum, si ad hos perditissimos, & su-
perbissimos semideos, in officio continendos, ac ad
humiles & abiectos consolandos, eorum testimonium,
de eodẽ pariq; cum beluis interitu, tum ex materia &
corpore, tum ex forma, & anima proferat? Qui cum
bestijs se æquari videant, mutuam inter homines im-
mortalitatem, æquo animo ferant, ac patiantur: Atque
idcirco ait.

Quis cognoscit] Duo anteà proposuerat Solomon;
hominem non anteponi bestiæ, quòd ad corpus attinet;
idque iam superius ostendit: Proposuit etiam ho-
minem non anteferri bestiæ, ex animæ parte: quod

ex circumſtantia probarat; ſed nunc ad eius confirmationem, hanc rationem ſubiungit, ex cauſa efficiente ignorantiam hominum: cui veluti præſentiſſimum remedium ponit quod ſequitur.

Verſ.22. *Itáq; vidi*] Concluſio de vſu rerum aliquoties iam repetita.

CAP. IIII.

Verſ.1. R*Edi etiam*] Reprehenſa tyrannorum ambitione, retuſóq; eorum ſupercilio, miſerorum ſubditorum ſtatum deſcribit, ac declarat, eorum oppreſsionem, qui præter ſua merita à ſuperioribus opprimuntur: Augenter verò ambitioſorum tyrannorum oppreſsiones, ex circumſtantia tum lachrymarum, tum nullius conſolationis ſumma potentia opprimentium. Vt in pauca conferam ſequentium ſententiarum cum ſuperioribus ἀκολουθίαν; agit nunc Solomon de oppreſsionibus, quæ in malè adminiſtrata republ. duplices eſſe ſolent; vel exteriores, vel interiores. Exteriores etiam duæ: aut à potentioribus tyrannis; aut ab æqualibus, & inferiorbus, inuida æmulatio. Priores moleſtiæ, per ſynecdochen antonomaticam oppreſsiones dicuntur: poſteriores inuidiæ, æmulationes, contentiones, & zelus. Interiores autem, quæ non ab alijs, & exteris, ſed à nobis ipſis, ob reipubl. perturbationem malè edoctis; fiunt

sint, maximè versantur vel in subductione victus, & corporis tenui curatura, vt nulla, ferè ratione habita nostri, sed πλεονεξίας morbo laborantes, pecuniam quæramus, de quo vitio hîc agit. Vel in ea fraude, quam superstitioso nobis ipsis religionis cultu facimus, posita est: de qua posteà, cap. 5.

Et à manu opprimentium illos robur.] Id est, Opprimentes violenter admodum tractant oppressos. Vel, Et è manu opprimentium violentia exit. Vel, Opprimentes validi sunt, & potentes ad opprimendum tenues, infirmos, imbecillésq; homines.

V.2. *Ob idq; laudo.*] Ex maiorum comparatione exagerat sapiens, huius incommodi magnitudinem; quòd non solùm homines mortui, sint ijs, qui viuunt, fœliciores; sed etiam ij, qui nondum nati sunt, & mortuis & viuentibus sint beatiores; quòd hæc incommoda vitæq; miserias non sint experti iuxta illud, & à Græcis & Latinis autoribus celebratum: Melius est non nasci: proximum, quàm ocijssimè aboleri. De cuius sententiæ veritate hîc disputandi locus non est.

Ver.4. *Rursum contemplatus sum.*] Alterum oppressionum genus in Repub. malè administrata inuidia est. Nam quemadmodum potentiores sua potentia opprimunt imbecilliores, ita æquales vel inferiores sua inuidia alijs detrahunt, & negotium facessunt. Porrò neque iniurias violentorum magistratuum, & inuidiam æqualium, vel inferiorum euitare in corrupta Republ.

neq; si Domini verbo & spiritu destituimur, ferre possumus. Sequentia sic coniunguntur : Cum piger in reipub. ἀταξίᾳ praeposteráq; malorum principum administratione haec fieri videt, à labore abstinet, ne inuidiam sustineat; & sūma extremáq; fame confici mauult, quàm in negotio, & opere versari: atq; inuidorum molestias perpeti.

V. 6. *Melius est implere.*] Huic pigro non inscitè per prosopopoeiam sermonem aptum effingit Solomō: Cuius vis est in minorum comparatione. q. d. Minus mali est me famelicū, agere in quiete & otio, q̄ inuidiam subire in perturbatione & negotio. Ex quorundam interpraetum explanatione, hae duae sententiae generaliter & separatim explicari possunt. In quorum priore vanitatem & perditionem pigri ex extremae famis circumstantia ostendit, quae cum mutis sententijs prouerbiorum congruit.

In posteriore verò commodum moderati laboris exponit. Vt faciliùs vanitatem summámq; calamitatem indicet & arguat eorum, qui vt opes congerāt, soli immensi laboribus sese conficiunt. Ego tamen, (suo cuique relicto iudicio) eam ἀκολουθίαν harum sententiarum, quam in paraphrasi sequutus sum disputationis περιστάσει conuenientem arbitror.

Kishron.] Rectitudinem. Non ad animi mentísque effectionem referendum est; sed ad factum & opus, quòd

quod sit politum valdéq; à fabre factum & elaboratum, vt in eo iure desiderari nihil possit.

Kinath] Zelus, æmulatio ad socium suum. Id est: Etiam in eo opere mirè limato perfecto, & omnibus numeris absoluto, inuenit inuidus, quod carpat & reprehendat. Adeò mali & peruersi alienorum laborum sumus æstimatores.

V. 5. *Stolidus amplectitur manus.*] Complicat. i. nihil agit; & ob id famescit, vt suam propriámque carnem exedat.

V. 6. *Caph.*] Volam. Palmæ concauitatem. i. modicum.

V. 7. *Et redij ego.*] Hæc alia est oppressio, quæ interior dicta est superiùs; quòd ea non extrinsecus nobis inferatur, à tyrannis reipub. oppressoribus: sed quòd defectu cælestis disciplinæ, quæ in perturbata republica minimè viget, ipsi nobis vim afferamus. Eleganter verò expresus est, πλεονέκτου status & miseria; qui Societatem fugit, amat solitudinem, laboribus se conficit, diuitiarum aspectu pascitur, nescit cui laboret & genio suo ex partis opibus minimè indulget. Itáq; hîc disserit Solomon de solitudinis vanitate, quam amat auarus, vt diuitijs inhiet, ac ex comparatione minorum, societatem solitudini præponendam esse docet; quòd solitudo non sit tam bona, quàm Societas. Id autem ex mutuis, paribúsq; officijs, quibus se socij iuuant, apertè

apertè indicat. Vanitas porrò solitudinis declaratur ex collatione dissimilium; ꝙ sit vir quispiam solus, filio, fratréue destitutus, is tamen finem labori suo non imponit, neq; eius occuli diuitijs saturantur. Huius laboris inutilitatem ex fine ostendit, ꝙ non secum cogitet auarus, cui laboret; & genium fraudet suum. Quod ac-accomodata prosopopœia sequenti versiculo exornatur.

V.9. *Meliores ergo Duo.*] Sarcitur solitudinis incomodū commodo societatis, in comparatione minorū inclusum: ac ex tribus dissimilitudinibus socium sibi adiungendū probat. V.10. Nam, & in lapsu alter alterū erigit; & in lecto se inuicem calefaciunt; & aduersus inuadentem sese defēdunt. V.11. Quodsi tot tātaq; commoda in duorum societate posita sunt; quantò maiora erunt ea, quæ ex trium societate percipiuntur: quæ res eleganti similitudine explicatur. V.12. Quemadmodum funiculus ex tribus cordis confectus rumpi facilè non potest: sic trium amicorum consociatio longè validissima, multóq; potentissima est.

V.13. *Melior est pauper & sap.*] Post longam παρέκβασιν, earum oppressionum & vitiorum, quæ in malè administrata repub. accidere solent; reuertitur Solomon ad tractationem inceptæ vanitatis, quæ in ambienda super alios authoritate versatur: Ac primùm Graphicè nobis depingit, regum insipientum cruciatus; deinde, aulicorum inuidas æmmulationes notat; Tertio deniq;, venturi

venturi Principis gratiæ captatores salsè deridet. Porrò minorum comparatio, ad amplificandam sapientiæ dignitatem, quæ etiam cum pueritia, & inopia coniuncta, senilem Regis stultitiam longo post se interuallo relinquit, ponitur. Potior enim est puer inops & sapiens, quàm Rex senex & stultus, qui iam non nouit admoneri. Vbi elegans est significatio in Antithesi horum verborum: puer, senex; inops, rex; sapiens, stultus; Huius autem rei ratio posita est in dissimilitudine. V. 14. Nam ille ex extrema paupertate in regnum euocabitur: hic autem ex amplissimis opibus fit miser. Regis autem summa stoliditas indicatur, ex circumstantia negatæ admonitionis, cuius ipse capax non sit. *E domo vinctorum.*] Periphrasis carceris; aut per Synecdochen speciei pro genere, summam egestatem significat.

V.15. *Vidi cunctos viuentes*] Claudit penultimi mẽbri de humana potentia confutationem, & alludens fortassis aulæ suæ vanitatem, quæ Roboamum filium veluti solem orientem prehensabat; exponit summam vanitatem hominum, præsertim verò aulicorũ, qui meliorem putant suam conditionem futuram, sub rege iuniore regnaturo, quàm sub rege sene regnante. V.16. Quæ vanitas ex parium comparatione mirificè augetur: Homines noui imperij appetentes sunt; igitur principem regis filium, patre deserto comitantur. Atqui perinde gaudebit populus de isto iuuene secundo, cui adulatur; vt gauisi sunt maiores de rege sene.

CAP. V.

CVstodi pedem tuum.] Connecti potest hoc caput superiori tractationi duplici nodo: Primò, quia in repub. malè administrata non tantùm vigere solent ea vitia, quæ superiùs descripsit, sed etiã idololatriæ, idolomaniæ, & superstitiosi cultus paulatim oriuntur: vti videre est in historia Roboami Solomonis filij: vt taceam interim nostrorũ maiorum experimenta, qui simul cum politicis vitijs, religionis etiam corruptelas, ob malorum principum tyrannidem amplexari atq; retinere sunt coacti. Alter ἀκολουθίας & connexionis nodus sumi potest, à partitione superiùs posita. Diuisimus enim oppressiones, quibus miseri mortales sub tyrannide malorum principũ vexantur atq; opprimuntur, in externas & internas: illas præcedenti capite descripsit Rex sapientissimus; has pijs quibusdam præceptis quæ commenticias superstitiones aboleant, hîc ob oculos ponit. Porrò traduntur præcepta tria, quæ ad Dei metum retinendum ritúsque superstitiosos abolendos maximè faciunt. Primum, in verbi diuini auditione; alterum in oratione, & præcibus: postremum, in votorũ nuncupationibus versatur. Hæc enim omnia corruptelis solent, commenticijsque ceremonijs contaminari, in repub. præposterè ac negligenter administrata. Præceptũ autem primum in minorum collatione inclusum, ex adiuncta stultorum hominum ignorantia approbatur: Qui non norunt, Deum imprimis mentis puritatem: deinde

deinde exteriores cultus & ceremonias, ex vera fide promanantes flagitare: at illi primò victimis, & sacrificijs externis se Deum placaturos putāt; de cordis syncerítate non admodum solliciti. *Pedem tuum*] q.d. templum Domini aditurus, mentem tuam sic componito vt de eius voluntate docearis, quid potissimū agere debeas, Id autem assequeris si Domini verbum attentè diligentérq; audiueris potiùs, quàm sacrificia victimásque stultorum obtuleris. Idcirco suam stulti stultitiam produnt, qui ignorant, se malè agere, victimas offerēdo potiùs quàm Dei verbum audiendo, quò ad saniorem mentem redire queant. In his præceptis considerandæ sunt antitheses superstitiosorum cultuum, de quibus in Paraphrasi, pro suscepti argumenti breuitate nonnihil diximus.

V.2. *Ne acceleres super ore tuo.*] Alterum præceptum, quòd verbi diuini auditionem sequitur est de oratione; vt ea sit breuis & considerata: Breuitas commendatur ex comparatione dissimilium, quòd Deus ad quem ea funditur, in cœlo resideat tanquam in sublimi quodam loco authoritatis dignatísq; amplissimæ: qui exactissimé cognoscit, & quid dicamus, & quibus indigeamus. Nos autē terra degimus, vnde nostra exiguitas agnoscenda est ne multis verbis dominū interpellemus.

V.3. *Quia vti venit.*] Considerationis confirmatio illustratur grauissima collatione similium causarum similes effectus procreantiū. Nam quemadmodum

negotiorum

negotiorum multitudo somnium procreat: sic multitudo verborum parit vocem stultam & inconsideratam. De hoc præcepto præclarissimè concionatur Christus, Mat.5. Vbi Pharisaicas battologias damnat.

Vers.4. *Quando vouebis*] Extremum præceptum ad votum pertinet, estque bipartitum. Primum membrum est, vt votum nuncupatum quàm ocijssimè exoluatur. Quod ex circumstantia auctum, minorum comparatione amplificatur. Etenim Deus non delectatur stulta leuitate eorum, qui vota faciunt, & emissa non adimplent: cùm satiùs sit non vouere, quàm vota non adimplere. V.5. Alterum est, ne tergiuersetur, causáq; quæratur, quo minus votum soluatur. V.6. Ea autem est imprudentia, quæ ex testimonio angeli custodis refellitur: & ex fine, ne Deus irascatur nobis, operáque nostra perdat.

V.7. *Nam in multitudine.*] Concludit tria præcepta, causam superstitiosorum votorum veluti assignando. Ex fine deniq;, vt in omnibus actionibus nostris Deum metuamus, neq; in eum peccemus, hortatur. Causæ explicationem videto in Paraphrasi.

V.8. *Etsi oppressionem*] Superiùs sermonem habuit Solomon de oppressionibus & calumnijs: nullúmq; eis remedium adhibuit, quo consolationem oppressi caperent. Quare nunc vniuersum tractatum de Tyrannorum potentia, & Reipub. ecclesiæque corruptelis absoluens, consolatur pios, ne vehementiùs angan-
tur

tur & doleāt. Cōsolationis ratio ſumitur ex circūſtātia potētiorū, qui has tantas calūnias oppreſſiones, ac violentias obſeruant, eáſq; nō ſinent impunitas. Quodſi iſti punire noluerint, Deus potentiſſimus iudéxq; iuſtiſsimus de opreſſoribus pœnas ſumet. Non igitur voluntatē diuinā admirari, eámq; incuſare debemus, tanquàm non rebus humanis prouideat: ſed id omne Deo committentes, ei gratias agere, quòdità mundum adminiſtret, vt alij ſint alijs potentiores, vel ad opprimentes reprimendum, vel ad eos in officio metúq; continendum. Alij ſic interpretantur: Cùm tot ſint præfectorum in prouincia gradus, non mirum eſt, ſi rex prouinciæ, qui eſt omnium ſummus, non poteſt cauere, ne cui fiat iniuria. Iudicium vtriúſq; interprætationis ſit penes lectorem.

V.9. *Porrò excellentia terræ.*] Hìc aggreditur quartum membrum generalis enumerationis, atque ſolidiſſinis argumentis confutat vaniſſimam diuitum opinionem, qui opes congerendo, & pecuniarum theſauros coaceruando ſe eo pacto ſolidam & firmam fœlicitatem adepturos arbitrantur. Initio autem tractationis præclariſſimas laudes tribuit Solomō agriculturæ; cuius cōmoda & ἐγκώμια Cicero tùm in officijs, tùm maximè in dialogo de Senectute, luculentiſsima oratione recenſet. Hoc vitæ genus veteris teſtamenti patriarchæ ſequuti ſunt, vt animo tranquilliori diuini numinis cultui vacarent. Hoc pro fundamento ſumitur à

Solomone; Inter labores mundanos eum, qui agro colendo impeditur, commendari vel maximè; & agriculturam cum diuitijs committens, has ab illa longè superari cõfirmat; primùm ex circumstantia vberioris prouentus, qui ex agricultura percipitur, adeò vt etiam Rex ipse ad dignitatem suam tuendam, agro inseruire non dedignetur.

V.10. *Amans argentum*] Redditio deinde sequitur de diuitijs & opulentia, ex quibus nihil prouenit. Vnde concludit opum coaceruationem absque vsu, summam esse vanitatem. *Qui amat argentum*] Auari periphrasis. V.11. *Argentum*] Synecdoche pro diuitijs, copiam, abundantiam opum & aliarum rerum, quam opulentiam dicimus, significat. Demùm fructum ex diuitijs exponit ex paribus, quòd nullus alius sit, quàm vbi multitudo sit diuitiarum, ibi pariter sit edentium multitudo. Qua ex re id reportet vtilitatis diues, vt eas videat, contempletur, & aspiciat.

V.12. *Dulcis est somnus*] Alia præstantia agriculturæ supra diuitias depræhenditur ex somni circumstantia; quẽ agricola post agri suì culturã & laborem, dulcissimũ capi, & suauissimum: cùm tamen diues præ saturitate nimia neq; requiescere, neq; dormire possit.

V.13. *Est malum ægrum*] Tertium incommodum diuitiarum est pernicies ipsa, cuius opes seruatæ causa sunt diuitibus; & earum possessoribus. &c.

V.14. *Pereunt enim in afflictione*] Extremum incomo-

comodum diuitiarum est molesta earum amisio, quæ interdũ fit vel propria ipsius diuitis culpa, cùm diuitias suas perdit ipse atq; dilapidat; vel solicitudine nimia augendi incidit in euentum, quo, damno afficitur : ac dolor ille augetur grauiórq; fit ex filij procreatione, cui nihil sit relicturus ex laboribus suis.

V.15. *Sicut exiuit nudus*] Dissuadet nimium amorē, cæcámq; cupiditatem, qua rapiuntur auari homines ad cõgerendas diuitias: ꝙ is labor, qui sumitur, vanus sit. Eius autem vanitas ex similitudine comprobatur, quæ in syllogismũ connexum sui componi potest : Si quemadmodũ cùm homo nascitur, nihil secum affert, sic cùm moritur, nihil defert; profectò labor ille summus, quo laborat in aceruandis diuitijs, parũ aut nihil ei prodest. Sed primum verum: verum igitur est postremum. V.16. Sentẽtia assumptionis præcedit. Deinde collocatur propositionis sententia, quæ augetur ex adiunctis miserijs, ira, morbo, ægritudine, & indignatione diuitis auari.

V.17. *In tenebris comedit*] Tenebræ per metaphoram, ærumnas, mentísq; cœcitatem & caliginem significant, in qua versatur auarus homo. *Morbus*] Praua animi affectio, qua tanquam morbo vexatur.

V.18. *Ecce quod ego vidi bonum*] Sententia hæc intercalaris, ostendit primò generaliter, verum laboris fructum esse, rebus à Domino concessis; nempè cibo, potu, iucunditate & lætitia vti. Quæ omnia diuina largitate sibi tributa esse agnoscens, hunc fructum ex

laboribus suis amplissimum, tãquam sortem & portionem suam esse fateatur. Quare cùm sit persuasus, initiũ laboris sui progressum, & fructum, à Deo sibi obuenisse; fieri nequit, quin eum grato hilaríq; animo percipiens in tam benigni, amantísq; parẽtis laudes prorũpat.

V.19. *Etiã omnis hom.*] Specialis sententia, cõclusionis adhibetur vt etiam indicet diuitias & opes Dei donũ esse gratuitum, etiamsi cum labore parentur: neq; hoc solùm, sed etiam facultatem eis vtendi, cum gaudio & lætitia, summam esse Domini benignitatem. In hoc igitur si intueatur homo diues, gratiam hanc, summúmque fauorem esse iudicabit, ex diuini numinis munificentia profectum: propterea quòd Deus sua liberalitate est eum prosequutus; vt opes & facultates amplissimas, proprijs laboribus partas, vt earum, inquam, vsum fructum, haud vulgare laboris impensi præmium, letitiam nempe, gaudium, & hilaritatem in illis vtendis fruendísq; ipsi impertierit. Quod cùm summum in rebus humanis sit beneficium, maximas item Deo largitori gratias agere, ac lætus vitam transigere iucundam debebit.

V.20. *Quia non multum.*] Id autem eleganti epiphonemate terminatur: Quòd non admodum recolet numerum dierum vitæ suæ; quoniam Deus exaudit illum; id est, securus valdè erit, eò quòd impensè admodum Deus ei faueat, ac res omnes pro votis suis obtineat.

CAP.

CAP. VI.

erſ.1. EST *& aliud malum.*] Enarrat alias diuitis miſerias & infortunia, quæ ex collatione iſſimilium illuſtrantur. Tametſi Deus cuipiam homini iuitias & opes largitur; attamen, ſi vſum earum non ermittit, malum ſanè miſerrimum eſt. Interpres hac oui capitis ſectione, filum diſputationis abrupit, Hæc nim eo nexu cum ſuperioribus cohærent, vt diuelli llo modo nec poſſint, nec debeant.

.2. *Vir cui dedit Deus.*] Protaſis præcedit: an- apodaſis ſequitur confirmata ex principe cauſa, Deo; & adminiſtra, homine extero; per quem Deus eripit di- iti diuitias, in quibus requiem ſe inuenturum ſperaue- at. Præponitur autem ad audientiam faciendam exage- atio huius ſummæ calamitatis, ex circumſtantia fre- uentis aſſiduíque eius euentus. Enimuero extrema nfœlicitas eſt, à Deo diuitias, opes, & honorem acce- iſſe, nihilq; omnino deeſſe, quod ad eius libidinem & upiditatem explendam faciat: Tamen earum rerum ſum defuiſſe. *Ad comedendum ex eo*] Synedoche peciei pro genere: pro eis vti, frui, quæ maximè auget miſeram diuitis conditionem.

Verſ.3. *Si genuerit quiſpiam centum.*] Eſt & alia diuitis miſeria atque calamitas in diſſimilium compa- atione incluſa: quòd etiam vanitas ſit ſumma, multa role parentem fieri, plures annos viuere: verum re-

bus partis frui non posse, ac tandem sepultura carere.

V.4. *Quamuis in vanitate*] Ex minorum collatione amplificatur præcedens sententia : quòd diuite hoc miserrimo, nō miserior est abortiuus ; cuius etiam miseria, licet maxima, ex sex circumstantijs incommodorum, quibus priuatus est, colligitur. V.5. Primò, quòd in vanitate venerit. Secundò, in tenebris iuerit. Tertiò, in tenebris fuerit eius nomen. Quartò, neque Solem viderit. Quintò, nihil nouerit. Sextò, denique, nulla requies abortui fuerit. Hæc, inquam, grauissima mala sunt : sed tamen cum alijs infœlicissimi diuitis malis comparanda non sunt.

V.6. *Etiam si ei fuerint*] Prolepsis est, quæ ex parium comparatione soluitur. At diues noster bis mille annos vixit. Esto sanè per me ; verùm vnus idemq; locus capiet, sepultura videlicet : quem ad locum cuncti mortales tendunt.

V.7. *Omnis labor*] Prolepsis altera est ; Atqui diues plurimùm rem suam labore auxit suo. Cui ex fine, in dissimilitudine compræhenso, sic respondetur : Negari non potest, diuitem adhibuisse diligentiam haud vulgarem, laborem incredibilem, industriam summam, quò rem faceret : verùm id perfecit oris sui gratia, vt se aleret ac sustentaret. Cæterùm id quod optabat, assequi non poterat ; cùm eius animus neque satiari potuerit, neq; mens eius expleri. Quare quid hoc diuite miserius excogitabitur ? Quid hac vanitate, vanius reperietur ?

Vers.8.

V.8. *Quæ igitur excellentia sap.*] Cùm auari hominis diuitias vanitate teneri docuisset, confert nunc sapientis viri conditionem, quamuis inopis, cum misero illius diuitis exitu. Nam tametsi ex parium collatione ostendit, nihilo meliorẽ esse conditionẽ sapientis inopis, quàm stulti diuitis (quatenus mors sit vtrique communis) attamen id in hac vita esse discriminis inter pauperem sapientẽ, & diuitem stultũ, subindicat; quod ille, etiam si pauper sit & inops, reb. suis prouideat; hic verò diues & cœcus aspectu etiam careat. *Cognoscenti ambulare iuxta viuentes*] Periphrasis sapientis.

V.9. *Melius videre oculis.*] Ex hac minorum comparatione percipitur differentia sapientis pauperis, & stulti diuitis. Nam sapiens, quamuis inops, aspicit: stultus autem cœcis suis diuitijs occœcatus, animo vagatur, inscius quo progrediatur: quóq; eum cogitatio aceruandi, metúsq; congesta amittendi rapiunt, fertur incitatus. Sed & hoc vanitas est. Vulgatus interpres nonnihil recedit ab Hebraica veritate.

V.10. *Id quod est iam vocatum fuit*] Clausurus primã concionis suæ partẽ Solomõ, atq; ex diuitis auari insectatione occasionẽ nactus, nõ solùm hunc suis diuitijs miserè occœcatũ irridet; sed etiam ex nominis notatione, ex hypothesi ad thesin ascendẽs, humanæ naturæ imbecillitatẽ ostendit. Itaq;, meo quidẽ iudicio, sententia hæc mẽbris omnib. generalis enumerationis antithesin præbet atq; docet, hominẽ rẽ tã esse imbecillem, adeóq;

vas argilaceum atq; fictile, vt nisi diuini fictoris auxilio perpetuò fingatur, refingatur, conseruetur & reficiatur, nihil boni aut ex sapiētia, aut ex voluptate, aut ex potētia vel diuitijs poterit capere aut continere. Infirmā autē inualidáq; esse, nō solùm diuitis, sed hominis cuiuslibet potētiam indicat, ex nominis notione, & ex necessitate conditionis suæ. Homo siquidem ex terræ hinc factus est, quòd *Adam Heremus*] eius nomen ab *Adamah terra*] deductum, significat. Ex quo consequitur, quòd valdè imbecillis sit, ac debilis. Quid igitur is ex hac tanta impotentia naturali, nisi summam extremámq; vanitatem speret, necesse est? *Vocatum fuit nomen.*] Vocari nomen, idem est quod esse, vt ex sequentibus intelligitur. *Et notum est quòd est homo*] Scz ex humo factus. *Neq; possit litigare cum eo, qui fortior.*] q.d. Ecquid igitur poterit disceptare & contendere cum Deo, qui multò potentior ac fortior est ipso: qui sic eum infirmū & imbecillē condidit? Alij verò hemistichiū, quod sequitur, ad aliū hominē, qui sit potētior, referunt. Sed mea quidem sententia, non tam aptè. V.11. *Vt numero dicam, sunt res multæ.*] Clauditur harum, quatuor partium generalis inductio, quæ Sapientia voluptate, potentia, diuitijs deniq; cōtinetur. Nam cùm hæc hominibus faciant admirabilitatem, ex harum vanitate discent, quàm parum sit in his quietis & tranquillitatis. Approbatur autem inductionis depositio, ex distributione duplicis impotentiæ,

quæ

quæ ſummam hominis arguit ignorantiam : tum, quòd nemo ſciat quid in rebus humanis ſit bonum: tum etiã, quòd nemo ſit, qui de futuris quicquam certi renuntiare poſſit. *Deuarum*] Res ſunt, nam hîc de rerum vanitate agitur. V.12. *Nam quis nouit*] Dimidia huius libri pars, in verſiculi huius initio collocatur, quæ ex ſupputatione Hebræorum centum & vndecim verſibus continetur: cùm totus liber habeat ducentos viginti duos (vti illi vocant) paſukim. Eſt autem hæc ſententia paraſceue, qua auditorem attentiorẽ reddit, ad ſequentem tractationem de ſummo bono, quam ſequenti verſiculo Solomon auſpicatur.

CAP. VII.

AGgreditur nunc tractationem de ſummo bono, quod in religioſo numinis metu ex phraſi prophetica eſt collocaturus. Sunt autem hæ locutiones, Solomonis patri, valdè familiares; Beatus vir qui timet Dominum. Beati omnes qui timent Dominum. &c. Ex quibus ſimilibúſque beatitatis deſcriptionibus, dubio procul Solomon paternæ doctrinæ imitator, huius diſputationis ſummam deſumpſit. Porrò id quod patres veteris fœderis Dei metum vocant: Chriſtus eiuſque apoſtoli fidem ſeu fiduciam nuncupare ſolent. Eſtque valdè neceſſarium diuinarum ſcripturarum ſtudioſis, has phraſes de hominjs fœlicitate, inter ſe conferre; vt intelligant, rem quidem eandem in vtróque fœdere

doceri, tametsi varijs locutionibus, efferatur. Quâ de re nos alibi nonnihil sumus commentati. Nunc verò quod ad Solomonis institutum spectat, perfectã hominis fœlicitatem in hac vita inueniri non posse apertè asserit: Gustum tamen quendã futuræ fœlicitatis filios Dei hîc posse habere concedit: quum ἐνθυμίαν, atq; ἀυταρκίαν; ex diuinæ bonitatis largitate sentiant. Hoc autẽ Dei beneficium, quà cœlitùs contingit, diuinũ donum, quà in homine resìdet, veluti in subiecto, Dei metũ vocat. Cui religioso Dei timori duo tribuit effecta: primũ sapientiã, seu prudẽtiam, quæ intellectũ collustrat, & in Dei cultu, rerúmq; electione, ducatum, ne à verò aberremus, præbet. De hisce prudentiæ ac sapientiæ præceptis, vsque ad versiculũ 13. huius septimi capitis disserere videtur. Deinde iustitiam, quæ tum in religioso numinis cultu: tum etiã in actionibus & cõtractibus humanis in officio nos continet: ne proprio amori indulgentes, alijs iniuriã inferamus. Orditur autẽ fœlicitatis tractatum, à priore effectu nempè sapiẽtia; & ne cõsideratio in abstracto, difficultatẽ pariat, in concreto, ipsisq; humanis actionibus, quarũ potissima est rerũ electio, suam sententiã ob oculos ponit. Itáq; nunc aggreditur sapientiæ, non humanæ & fallacis, qualẽ superiùs depinxit, innumeras molestias secum afferentẽ, sed veracis & diuinæ dignitatẽ excellentiámq; indicare; ac cætera omnia infinitis partibus superari, à sapientia ex diuino mètu nata, demonstrat. Quare eam in abstracto cùm stultitia cõponit, & sapientẽ cum

stulto;

ſtulto; ac ex ſubiectis rebus in quibus verſantur, ſapientē, Deumq; timētem eminere probat. Quòd ſapiens domū luctuoſam & mortui hominis frequentet: Stultus verò in conuiuijs, delicijs, voluptatibus, & gaudio aſſiduè occupetur. Argumentatio ſic poteſt connecti: V. 1. Si dies mortis præſtantior eſt diè natali cuiuſque, melius eſt ad domum luctus, quàm gaudij adire. Sed primum verum: verum igitur & poſtremum. Sententia aſſumptionis præcedit ex parium comparatione: Quantò bona fama prætioſo vnguento præſtantior eſt; tantò dies mortis, die natali præſtat. Alij in ſimilitudine includunt; ac ſimilitudinem pro parium comparatione faciunt. Sed maior ineſt in æqualitate vis & robur, quàm in ſimilitudine. Sunt & qui ſeparatim præcepta poſita eſſe putant; ac primum omnium eſſe dicunt, quòd ſapiens delitiis & voluptatibus honeſtam famam præferat, deq; bono nomine inter pios mortales potiſſimum eſt ſolicitus, ac de die mortis. Connexio autem horum præceptorum cum ſuperioribus nō erit difficilis, ſi animaduertamus mentem Solomonis, & ab eius inſtituto non recedamus. Is etenim in hoc incumbit, vt à vanitate rerum conditarum auocatos, nos in Deum, eiuſque religioſum metum reuocet. Interim tamen rerum præſentium vſum ac præſtantiam non negligendam eſſe monet. Quod ſi intellexiſſent nonnulli, non temerè pronuntiaſſent, Solomonem hîc ἀσύςατα, ſibiq; pugnātia dicere: quū maximè cum ſuperioribus cohæreant ea, quæ nunc

aſſeruntur

a feruntur, rebus siquidem creatis homo iucundè tranquillóq; frui animo, inuicémque sortis suæ memin isse debet. Hanc sententiam satis apertè in paraphrasi ostendo.

Vers. 2. *Melius est ire ad domum luctus*] Conclusionis sententia est: quare satius est ad luctuosam domum itare, quàm agere in conuiuio ac domo compotationis. Approbatur ex circumstantia admonitionis, de fragilitate caducæ vitæ à mortis memoria. Nam in domo luctus mortuum hominem videt sapiens, moxque subit eum cogitatio conditionis suæ, eaque mortis meditatio sic ab eo perpenditur, vt eum in imo pectore reponat; quò vitam suam rectiùs instituat, actionésque suas meliùs componat. Sit ergo præceptum de rerum delectu ex animi perspicientia veráq; sapientia habendo: ac seorsim de voluptate stulti fugienda, & virtute amplectenda.

Vers. 3. *Melior est indignatio*] Hoc præceptum in eadem minorum comparatione positum est, vnde sapientis animi tum grauitas, tum excelsitas dignoscitur. Grauitas quidem, quæ vultus seueritate, serias animi cogitationes hominis sapientis patefecit. Nam vti homines leues perpetuo suo risu, atque inepta vultus hilaritate, ingenij sui vanitatem produnt, séque in rebus futilibus versari indicant: sic etiam modesta, minimeq; morosa in vultu & actionibus grauitas, sedati ingenij index est; rebúsque serijs & vtilibus occupati. Excelsitas etiam

etiam hîc commendatur. Sapiens enim vitij praueque facti fœditate, & turpitudine conspecta non potest non irasci, atque indignari. Huius autem indignationis vtilitas summa est: Nam amplissimum fructum producit; salutarem nempe emendationem eius, qui in erratum lapsus fuerat. Quod & ad sapientem etiam accomodari potest, qui in seipsum descendit, imperfectionem suam agnoscit, & dolet, seseque ad Deum recipit; qui vitiositati suæ tum insitæ, tum acquisitæ medeatur.

Vers.4. *Cor sapientum*] Sententia hæc cum superiori cohæret, loci circumstantia amplificata. Nam vt stulti, gaudij & lætitiæ occasiones perpetuò venantur, animúmque semper (vt inquit ille) in patinis habent: sic sapientes lubentiùs in domo luctus versantur; deque extremo vitæ actu cogitant. Præceptum hoc ad prudentiam refertur, in rerúmque electione, vti superiora, versatur.

Vers.5. *Melius audire increpationem*] Quemadmodum prima sapientis viri laus est, vt sibi aliisque consulat, altera vt ab alijs consilium capiat; sic ad eiusdem laudem priorem pertinet, sua peccata vel aliorum meditari, atque arguere; ad posteriorem se ab alijs argui sinere: De priore laude in antegresso præcepto actum est; nunc de posteriore agitur: ac ex comparatione minorũ amplificatur huius præcepti vtilitas: Quòd longè excellat sapientis increpationem audire, quàm stultorum cantionem.

Vers.6.

Verſ.6. *Quia ſicut vox*] Apodoſis poſterior eſt, eleganti aptáq; ſimilitudine, ab euanido ignitarũ ſpinarum ſonitu, ac crepitu ſumpta, exornata. Nam quemadmodum ſonus ſpinarum quæ comburuntur, celerrimè euaneſcit, pluſque habet in crepitu oſtentationis, quàm in calore firmitatis: Sic riſus ſtultorum cantico conciliatus effluit nihilq́ue; ſani iudicij, aut conſilij affert. *Vox*] Synecdoche ſpeciei pro genere; pro, Sonus. Vox enim in animante propriè eſt, non in ſpinis. *Shir*] Cantio vel blanditiæ ſtultorũ; qui ſe ad riſum totos dant: quod etiam vanitas eſt.

Verſ. 7. *Certè oppreſſio ad inſaniam adigit ſap.*] Finis videtur eſſe ſuperioris præcepti, effectis ſuis confirmatus. Ponitur enim ratio, cur debeamus, audire ſapientum conſilia & increpationes: vt animus non commoueatur calumnia; neque donis corrumpatur: Qua de re in prouerbijs multæ & elegantes ſunt ſententiæ.

Verſ. 8. *Melior eſt finis rei*] Copulat in hoc præcepto duas ſententias, in minorum collatione incluſas: Vna; finē rei μακροθυμια attendēdũ eſſe iubet, cùm ex initio dignoſci nequeat: Altera lētitudinem iræ laudat, quam obtinebimus, ſi ad rei exitum vſque expectauerimus.

Verſ. 9. *Ne acceleres ſuper*] Sequitur alterum præceptum, quod huic optimè conſociabitur, de comprimenda ſpiritus celeritate ad indignandum: ex circum-

ſtantia,

ſtãtia, quòd hæc properatio propria ſit ſtultorũ effectio, ex qua ſapiens homo ſit, nec ne, facilè deprehendatur.

Verſ. 10. *Ne dicas, quid ſunt*] Hanc ſententiam à ſuperioribus de rerum iudicandarũ ſolertia pendere arbitror; atq; præcipere, ne iræ cauſas reijciamus in tẽporum circumſtantias, ſed in hominum mores, qui nullo non tempore, ſi abſit manſuetudinis ſpiritus veráq; ſapientia, vel ob minimas res excandeſcunt, & non ſolùm iracundiæ, ſed etiam vitijs omnibus fræna laxant.

Verſ. 11. *Vtilior eſt ſapientia cum diuit.*] Quanti facienda ſit ſapientiæ cum opibus coniunctio, ex earum factis, in ſimilium collatione comprehenſis, oſtenditur; & earum inter ipſas diſsimilitudo indicat, ſapientiam opibus præponendam eſſe. Inter res, quæ hominibus contingũt, nulla magis eos iuuat, gratóſq; reddit, quàm ſapientia & opes. Nam ſicut ſapientia homines tegit ac ſeruat: ſic diuitiæ eoſdem tuentur & defendũt. Attamẽ id potiùs ſcientia præſtat ſuis poſſeſſoribus, quàm diuitiæ. *Cum hæreditate*] id eſt, diuitiis metonymia, cauſ. pro effectis. quæ eò gratiores coniunctioréſque ſunt, quo ſine labore obuenerunt. *Videntibus Solem*] Periphraſis hominum viuentium.

V. 12. *In vmbra ſapientiæ*] Similitudo tecta, Hebræis frequentiſſima, licet breuitate obſcura. Et excellẽtia ſciẽtiæ eſt, quòd ſapiẽtia viuificat poſſeſſores ſuos, quaſi diceret: Sapientia procreatrix eſt ſcientiæ, quæ vitã etiam interdum tribuit ijs, qui ea ſunt præditi.

Verſ. 13.

Verſ. 13. *Conſidera opera Dei*] Abſolutis præceptionibus prudentiæ rerúmque delectus, aggreditur Solomon iuſtitiæ tractatum, incipítque ab ea, quæ religioſa nuncupatur. Hæc autem verſatur tum in διανόμῃ tum in διωρθώσει. Hoc eſt intelligentia, & correctione. Prudenter autem mouit à particula attentionis, ad audientiam ſibi faciendam, ad ea, quæ de iuſtitia ſequuntur. Attentio porrò paratur ex Dei factis, & rerum à Deo conditarum neceſſario ordine. Sic enim à præpotente Deo res creatæ ſunt, vt id quod ſuapte natura peruerſum eſt, nulla à nobis dirigi ratione valeat.

Verſ. 14. *In die bona*] Præceptum iuſtitiæ de modo & ratione ſeſe gerendi tempore fœlici & aſpero: proſperitatem læto animo amplectamur oportet: aduerſitatem verò æquo animo tolleremus. Quod ex duabus cauſis præcedentibus approbatur Nam ſic Deus tempora temperauit, & huius rei cauſam hominibus ignotam eſſe voluit. Quare tempora, & ſerena, & nubila, ex Dei voluntate ferantur.

Verſ. 15. *Omne hoc vidi*] Explicatur aliud Dei effectum, occultum quidem illud; ſed quod maximam admirabilitatem facit: iuſtum nempe hominem in iuſtitia ſua breui, mortem oppetere; impium autem in impietate diutiùs viuere. Ad huius tamen admirandi facti attentam conſideratione͂, ad hibet firmamentum ex teſtimonio ſuo, ex circumſtantia vitæ ſuæ vanitatis exornato. Atque hæc tria præcepta aditum præbent ad docen-

dum

dum, quid in religiosa iustitia, veráque rerum sacrarum intelligentia, sequi homines, vel fugere debeant.

Vers. 16. *Non eris iustus nimium*] Præcepta duo de iustitia ἐπαναρθωτικῆ seruanda, atq; iniustitia, insipientiáq; reijciẽdis hîc permista traduntur; quæ sic euoluentur intelligẽtiæ causa: Priùs de iniustitia exponitur, ex eius generibus duobus: Vnum est nimius rigor, quod summum ius, vel iniustitia summa nũcupatur. Alterum est impietas animíq; malignitas, id est, prauum & permanens nocendi studium verè Cainicum religiosi, & Eliani zeli prætextu. Vers. 17. Huius autem duplicis iniustitiæ fugam ex fine dissuadet, ne nobis mortem ante tempus asciscamus. Nam cùm plus æquo iustitiæ ἐπανορθωτικῆς vel nostræ vel alienæ exactores rigidi sumus, fit vt aut nobis ipsis immaturam mortem adferamus; aut aliorum iugulo fortassis religionis purioris prætextu insidiemur. *Reshagnim*] sunt non solùm ij homines, qui mente praua semper agitantur, quíq; animo & cogitatione perniciem alijs moliuntur: de quibus psal. 1. sed etiã ij, qui Eliano zelo correctionẽ alienorum erratorum aggressi, Cainicam tandem rabiem ita imitantur, vt dum alijs exitium parant, eos corrigendi prætextu, ipse planè *reschagnim*, id est, impij, euadant. Talis fuit Christi tempore Pharisæorum zelus: initio quidem, Elianus; temporis verò progressu Cainicus; ac tandem Sathanicus & Diabolicus. Hos autem homines iniustos in æternam mortem ruere, ne-

cesse est. *Et non eris stolidus*] Alterum de insipientia abijcienda præceptum hîc ponitur, duas item eius species commemorat: nimiam sapientiam & in indagandis aliorum erratis curiositatem; ac in eisdem corrigendis stultitiam vel stoliditatem. Hæ igitur iustitiæ pestes, & vitiosa extrema deserenda esse, confirmat ex fine, ne in stupiditatem incidamus. Nam qui nimis sapere vult, stupidum se facit: & qui stultus est, stolidus stupore tenetur.

Vers. 18. *Bonum quod apprehendas*] Quam viam insistere oporteat inter tam varia tamque aduersa vitia, ne in præcipitia feramur, docet Solomon ex circumstantia boni; quod ex mutua coniunctione sapientiæ cum iustitia reportatur; & ex facultate euadendi insipientiam & iniustitiam, nempe Dei metu, qui omnes difficultates facilè superat. Danda opera est vt dextra amplectamur sapiêtiam, sinistra verò iustitiam διορθωτικὴν retineamus: deinde vitiorum nodos, qui aliis inenodabiles sunt, Dei timens nullo negotio enodabit.

Vers. 19. *Hæc sapientia confortauit*] Notandus articulus Hebr. Porrò ad amorem sapientiæ in animis nostris excitandum breui, sed eximia commendatione vtitur Solomon, ex illius factis minorum comparatione amplificatis: Quòd talis tantáque sit sapientiæ vis atque potentia, vt ea sapiens corroboratus, plus prosit ciuitati suæ, quàm multi viri principes & reges potentissimi.

Shalitim]

Shalitim] Principes, Domini. Synecdoche speciei pro genere. Numerus enim singularis & finitus, pro vniuerso & infinito ponitur. Hanc Solomonis præceptionem attento animo perpendant ij, qui fouendæ purioris religionis prætextu, humanũ sanguinẽ tam crudeliter effundunt, vt Cainicam sæuitiã superare videãtur.

V. 20. *Enimuerò homo non est iustus*] Quemadmodũ diuini numinis adminiculo, iniustitiæ scopulos euadere queamus, & sapientiã amplectamur, breuiter exposuit: nunc ad iustitiæ colendæ rationem accedit; quæ ex duplici subiecto, in quo ea posita est, explicatur. Alterũ est, vt ad errata veluti conniuẽtes æquo animo ea feramus: alterum verò, vt maledicta & contumelias, prudentes, & scientes dissimulemus. Priùs præstandum monet ex insita alijs mortalib⁹ omnibus facilitate, ac procliuitate ad peccandum: quòd etiam vir bonus benéq; moratus peccare, à rectóq; virtutis tramite deflectere nonnũquã possit. Quæ obseruatio nobis sit tanquã calcar oportet, vt hominibus nobis iniurijs, humaniter ac lubẽter condonemus, ac cum inimicis in gratiã redire non dubitemus; atque ad priuatas iniurias condonendas faciles simus. Latiùs etiã patet præceptum hoc, ad comprimendã nimiã feritatem atq; sæuitiam eorum, qui in corrigendis humanis erratis, ad viuum volunt omnia resecare.

V. 21. *Sed & cunctis sermonibus*] Ad conuitia & maledictiones sustinẽdũ (quod erat posteriùs nimiæ iustitiæ subiectũ) præsens remediũ adhibetur; ex collationibus

duabus: vna, minorum fine amplificata. Omnia enim verba, quæ homines proferunt, animaduertenda non sunt. Nam si iustè facere volumus, fiet; vt etiam serui in nos oblatrantis maledicentiam audientes, silentio dissimulemus: quantò igitur magis cum alijs dissimulanter id faciendum erit? Perpendatur exemplum Dauidis, impurissimi Semei maledicta æquo animo ferentis.

Vers. 22. *Quia etiam vicibus multis*] Altera parium collatio medicinam huic morbo facit, & testimonio suo cuiúsq; conscientiæ comprobatur. Cùm nos in alios cōuitia iacuerimus, (cuius rei conscientiam testem habemus:) vicissim aliorũ contumelijs nō est respōdendum.

V. 23. *Omne hoc tentaui*] Perdifficilis est sequentium sententiarũ cum superioribus ξυνάφεια & connexio, vt ex varijs interpretũ explanationibus, diligēs lector potest colligere. Ego tamen (ne aliorum sententias recensendo chartas impleam) id quod sentio, paucis exponam. Arbitror Solomonem vsq; ad huius capitis finē, in præceptis διωρθωτικῆς iustitiæ perseuerare; cumq, antea præcepisset, quibus rationibus homo sapiens Deúmq; timens segerere debeat erga se, erga alios ciues, erga famulos deníq; corrigēdos: nũc acturus de fœminarũ correctione, auditorem reddit attentum, ac tantùm non hyperbolicis locutionibus, ad rem seriam ac difficillimam audiendam præparat. *Omne hoc*] Supple, quod sum dicturus: vt ad sequentia referatur. Itáque huius fœmineæ correctionis rationem perdifficilē esse hominibus, pro-

prijs

prijs tantùm viribus nitentibus , vel ex hac dissimilium comparatione comperitur. Cùm enim Solomon in corrigendis mulierum vitijs suam sapientiam exercere cupiebat, atque hac in re sapientiæ suæ specimen dare studebat; ea tunc ab ipso quàm longissimè remoueri videbatur. Atque ad hoc magis magísque perpendendum locus attentionis præponitur.

V.24. *Elongatum quàm fuit*] Verborum exaggeratione, atq; eleganti repetitione, huius rei cognitionem inuentionémq; minimè esse peruiam ex efficiente causa difficultate, breui sed apta collatione minorum aucta, comprobatur. Fœminei quidẽ sexus tractandi ratio, res scitu difficilis, à nostráq; intelligentia remota, & veluti in altissimo puteo demersa est. Ecquis eam absq; diuini numinis luce, inuestigando reperiet? *Profuudum profundum*] Geminatio hæc ad augmentum & efficacitatem comparata est, id est, minimè vulgaris & exposita obuiáque est hæc cognitio. Sunt item hæ metaphoræ è loco sumptæ. Artem cicurandi feras inuenerunt homines; fœminas verò refractarias non item.

Vers.25. *Circuiui ego & cor meum*] Ad ostendendam vanissimam fœminarũ inanitatẽ repetit Solomõ, locum attentionis, ex contrarijs aduersísque studijs, in quibus versatus fuit. Ait enim se animúmque suum ex vna parte inuestigasse hanc corrigendi sapientiam, atq; idoneam tractandarũ feminarũ rationẽ: ex altera verò earundẽ impietatem, stultitiã, insaniã atq; stoliditatem.

Verſ.26. *Et inuenio ego amaram*] Vt his morbis remediũ adhiberet, exaggerat mulieris vanitatem, ex minorum comparatione, quòd ea ſit, morte ipſa amarior: & ex illuſtribus ſimilitudinibus tribus, fœminam neq; minimam neque contemnendam eſſe occaſionem lapſus hominum confirmat. Quaſi dicat: fœmina illa, quæ neq; conſiliũ neq; correctionem admittit, tota ſimilis eſt retibus & caſſibus, quibus feræ irretiuntur: ſimile eius cor, ſagenæ, qua piſces capiuntur: ſimiles demum illius manus manicis, & vinculis, quibus homines tenẽtur, & conſtringuntur. Poſtremò eleganti epiphonemate, ex collatione diſſimilium confecto eius euaſionem liberationémque in Deo autore tantùm contentam eſſe, maxima vocis contentione profitetur: virúmq; bonum, Deóq; charum, ab ea liberatum iri; malum verò & peccatorem ab ea captum, iri atque retentum.

Verſ.27. *Vide, hoc inueni, dixit*] Concluditur ad extremum fœminas multis modis vaniores eſſe viris, animóq; ad & augendam vanitatem magis refractario, ex collatione diſſimilium: Homines quidem quamlibet vaniſsimi ſint; vnum tamen inter multos inueniri virũ. Hoc eſt integrum perfectum, & conſtãtem: at ex fœminis omnibus firmam, conſtantem, ſuis numeris abſolutum, conſilij & correctionis capacem, nullam hactenus deprehendi. V.28. Neq; verò hic ſexus damnatur; quippe cùm bonus ſit, Deíq; opus eximium: ſed eius inconſtantia, vanitas, ingeniúmque à conſilio & correctione

alienum

alienum indicatur: vt homines admoneantur, ne imperium, dominatum, & potestatem, quæ à Deo in fœminas ipsis est tradita, ijsdem imprudenter concedant; & permittant: quod fiet, si benè quisque suum officium faciat.

Vers. 28. *Tantum vide, hoc inueni*] Conclusio est propositæ disputationis, & præceptorum religiosæ & correctiuæ iustitiæ, ex causa efficiente in dissimilitudine inclusa, ob quam & mulieres omnes inchoatæ sint, & imperfectæ; viri etiam pauci absoluti & perfecti. Hoc enim in causa est, quod cùm Deus hominem rectum, & perfectum condidisset, ipse à vero rectitudinis tramite deflectens, multis ac varijs sese impedierit difficultatibus, ac cogitationibus; à quibus se expediet nunquam, nisi ipsum Domini fauor & gratia explicauerit. Id ergo est homo cõsequutus, quia maluit prauã cogitationẽ suam, sui itineris ducem esse; quàm rectam ac salutarem Dei sui sapientiam & institutionem tenere.

CAP. VIII.

Vers. 1. QVis *talis vt sapiens*] Adhuc egit de religiosa iustitia, quæ in διανομῇ & διώρθωσει versatur: nunc aggreditur tractatum Ethicæ iustitiæ, seu του δικαίου; quod ex philosophica doctrina in νομιμὸν & ἰσὸν solet diuidi.

Vocant autem philosophi ἰσὸν, quando non legũm metu, sed iustitiæ & æquitatis amore, vnicuique quod

ſuum eſt æqualiter tribuitur. Atq; hinc exorditur Solomon, ſuam de iuſtitia tractationem. Νομιμὸν verò eſt quando ex legũ præſcripto, iuſtitiæ officijs incumbimus. Porrò eum, qui apud Regem agit, informaturus primò à ſapiẽtis viri laudibus exorditur ex minorũ cõparatione, & diſsimilitudine ſapientiæ, & inſipientiæ, & ex effectis vtriúſque.q.d. Cum ſapiente nemo comparatur, & præter ſapientem nemo nouit, queſtionem, quaqua de re propoſitam, exponere. Sapientia ſapientem illuſtrem reddit; at impudentia inſipientem pudefacit. Rabbi Aben Ezra vocem *tanquam* iterum repetit in altera parte membri ſic. *Ecquis tanquam cognoſcens, &c*] qui ſenſus licet bonus ſit, poteſt tamen & particula illa non iterari, & in initio poſita, non ſimilitudinem conficere, ſed veritatis expreſsionem eſſe, vt iurisconſulti loquuntur.

Robur faciei ſuæ commutatur] Periphraſis eſt impudentis, nimiúmque obſtinati, & pertinacis, qui ſic ſe obfirmat, vt pudere eum deſinat: vnde & frons & os durum appellatur. Quod eſt meretricibus in probro accommodatum.

Verſ. 2. *Ego os regis obſeruo*] Primùm Ethicæ huius iuſtitiæ præceptum eſt, Regis præſcripta & mandata cuſtodire; quod ex iureiurando diuino, quo Regi fidem ſuam aſtringunt, communitur. *Os Regis*] Metonymia, pro Regis mandato, edicto, præſcripto, quod ore inſtrumento, ad mentis conceptionem explicandam accomodato,

comodato, fit. *Regis*] Synecdoche, ſpeciei pro genere, pro vniuerſo magiſtratu.

Verſ.3. *Non accelerabis recedere*] Alterum præceptum partes habet duas. Prior diſſuadet, celerem & temerariam à Rege diſceſſionem. Poſterior vituperandum in re mala promiſſionem.

Verſ.4. *In cuius verbo*] Superioris præcepti probatio eſt, ex efficiente cauſa punitionis, maxima Regis potentia; qui & præſens & abſens, & de deſertore, & de prauè factis verbo ſolo ſupplicium ſumat. Iuxta illud: An neſcis longas Regibus eſſe manus? Cæterùm eius potentia exaggeratur, ex minorum collatione. Tanta ſiquidem eſt Regis potentia, vt ei à nemine priuato homine reſiſti poſſit. Saluberrimum hoc ſanè præceptum ſapiens non modò cuſtodit, ſed etiam & tempus & iudicium cognitum habet, & perſpectum: cum quo pugnat culpæ approbatio, pœnæq; experimentum; quemadmodum ſequitur.

Verſ.5. *Cuſtodiens præcepta*] Oſtenſa Regis potentia & authoritate, cuius dictis ni obtemperetur, vel ſolo verbo poteſt ſuam potentiam oſtendere: nunc, ducto argumento ab vtili, docet quantum tranquillitatis poſſideant illi, qui Regibus & magiſtratibus moremgerunt: contrà verò, quantum mali ſibi accerſant Regij præcepti tranſgreſſores.

Verſ.6. *Omni negotio tempus eſt*] Anadiploſis, contrariáq; diſſimilitudinis redditio, de ea pœna, & cru-

ciatu; quem ſuſtinet Regis contemptor, ob tempus & iudicium conſtitutum: quo iuxta Regis deſyderium & voluntatem, de ipſo ſumitur ſupplicium. Idcircò Sapiens, iuſtitiæque politicæ ſtudioſus, ſiquidem cùm tempus definitum, & iudicium de Regis imperio exequi nouerit; à re mala abſtinet, & præceptum ſeruat. At inſipiens legúmque violator ægrè fert, moleſtiáq; maxima afficitur; quòd tempus illud ſit decretum, & iudicium exerceatur aduerſus ſcelera & impietatem.

Verſ. 7. *Quia non eſt noſcens*] Augetur malum, & calamitas iniuſtorum hominum ex duabus eius efficientibus cauſis: tum ignorantia futurarum pænarum, quas vel Deus, vel Dei miniſter, Rex, ſuo tempore eſt ſumpturus: tum impotentia eis obſiſtendi. Ignorantia confirmatur, ex adiunctis temporis, & de tempore iudicij incerto. Grauiter patitur iniuſtus & ſceleratus, quòd nemo res futuras, pænáſque ei euenturas norit; quódque quando futuræ ſint, aut quomodò, nemo eum docere poſſit.

Verſ. 8. *Sicut non eſt homo.*] Hic altera mali & calamitatis cauſa, nempe impotentia declaratur, ex quatuor partium enumeratione; quæ magis accuunt pænam & dolorem: cùm & impijs negatus ſit, primùm dominatus continendi vitam. Deinde; imperium in mortis diem: quòd nullum habent. Mox; arma nulla, nullúmque iaculum in hoc prælio eos defendere valeat. Poſtremò; neque impietate vlla, vel diuitijs, vel

aſtutia

aſtutia liberari, aut euadere queant. Nonnulli interpretes vltimam hanc ſententiam referunt ad regum perſonam; quaſi Solomon his quatuor argumentis oſtendere velit principum impotentiam, eadémque ratione eorundem ſuperbiam retundere, atque in ſubditos ſæuitiam cohibere. Hanc interprætationem in paraphraſi ſequutus ſum. Prudenti tamen lectori iudicium relinquo.

Verſ. 9. *Omne hoc vidi.*] De populi cæcitate in cultura improborum principum, déque eorundem tyrannide, per parecbaſin dicturus, ſolitum & conſuetum attentionis locum aſſumit, ad diligentiùs excitandum mentes noſtras ad audiendum, & ad animos noſtros erigendum, ne fracti & debilitati labaſcamus. Attentionis autem locus exornatur ex circumſtantia ſtudij, & diligentiæ, quam ad huius rei perueſtigationē accurationem Solomon adhibuit: & deſcriptione tyrãnidis, quæ eſt praua dominatio, & imperium peſſimum, ſeu dominatus in ſubditorum malum & perniciem.

Verſ. 10. *Et ſic vidi impios.*] Quàm cæca ſit rudis vulgi natura, quámque bona diſciplina deſtituantur, vel ex hac ſimilitudine dignoſci poteſt; quòd ea tyrannidem laudet, & memoria ſempiterna colat: optimam verò regni adminiſtrationem obliuione deleat, & aboleat. Siquidem malos principes, iampridem ſepultos, identidem reuocat in memoriam, at eorum, qui

ius sanctissimè dixerunt, & rempub. præclarissimè gesserunt, memoriam extinguit. Quódq; magis deplorandum ac miserandum est; id in ea vrbe fit, in qua ipsi rectè, piè, iustè, sanctéq; egerunt. quod summa vanitas est. Tunc vidi (inquit) impios à longo tempore sepultos, & redierunt: scilicet, in memoriam. *Et ex loco sancto iuerant*] Periphrasis est loci iudicij, in quo Reges & iudices Dei personam sustinent; & Deus in consessu eorum habitat, & in medio eorum Deus dijudicat. *Iuerunt, & obliuioni traditi sunt*] Antithesin facit verbum redierunt.

Vers. 11. *Etenim quia non profertur citò*] Duplicem causam huius vanitatis assignat Solomon; tum ignorationem œconomiæ diuinæ iustitiæ, in sceleratis principibus puniendis: tum euentus piorum & impiorum; de quibus infrà vers. 14. Porrò ignoratio causæ, quamobrem de impijs hominibus & tyrannis pœnas celerrimè non sumat Deus, prior ansa est, & occasio illius præposteri iudicij, quo imperitos mortales superiùs laborare dixit Solomon. Habent enim pro persuaso, cùm tyrannis omnia prosperè cedant, eos principes, optimos esse. Quæ res non solùm improbos magistratus in sua improbitate confirmat, sed etiam electos & pios viros torquet: vti Dauid Psal. 73. Iobus 15. Ierem. 12. Abac. 3. seriò disputant. *Cor hominum impletur ad faciendum malum*] id est, in animum inducunt suum, vt peccent. Quod tamen, causa legitima perperàm agendi

gendi non est, sed conceptus quidam error, & fallax opinio eorum, qui Dei opus non assequuntur, neq; considerant. Sic hemistichium hoc intelligi debere arbitror.

Vers. 12. *Peccator quidem facit mala centum*] Dissimilitudo ad pios homines animandum & in spe continendum, q.d. quamuis peccator multoties malè faciat, & eius punitio differatur: attamen diuinum non euadet iudicium, & grauissimas pœnas dabit. Quod ex causa efficiente approbatur; quia impius Dei timore metúq; caret; cui etsi omnia florere videntur, vitámq; longissimam agere: id tamen velut fumus vmbráq; euanescet. Verum autem & præsens remedium, ad pios erigendum adhibetur, ex legitima causa, diuini numinis metu, quem pij retinent; qui est in causa, vt pijs benè sit, etiamsi affligantur hîc interdum, vt eorum patientia excerceatur, & fides illustretur. *Attamen noui ego quod erit bonum timentib.*] Significanter idem bis exprimitur. Dei enim metus, ita regit pios homines, vt Deum præsentem vbiq; venerantes & fide viua in eum intuentes, dent operam semper, ne eum aliquo modo offendant; sed, vt filios decet patrem, reuereantur & ament. Timore igitur honesto à peccatis arcentur; non pœnæ formidine, qua mali & serui in officio continentur. Hîc vtilis est distinctio duplicis metus, filialis, & seruilis.

Vers. 13. *Et bonum non erit impio.*] Antithesi illustrat præcedentem sententiam, ponítq; alteram diuini

dogmatis

dogmatis partem de punitione impiorum. Vide ca.2. ad Rom.

Sicut vmbra.] Egregia similitudo ad exprimendam impiorum conditionem, à Dauide Solomonis patre identidem in Psalmis vsurpata. *Quia non metuit.*] Ex causa efficiente, seu mauis deficiente approbatur infœlicitas impij; quia religione caret diuinoq; metu &c. Hæc doctrina generalis est de certissimo exitu piorum & impiorum.

V.14. *Est & alia infœlicitas, quæ fit super terram*] Assignat alterã causam superioris ἀταξίας, tum in principibus in sua tyrannide perseuerantibus: tum in plebe imperita eosdem tanquam semideos colente. Deflectunt enim vterque á veritatis rectissima via cùm conspiciunt sic agi cum iustis, perinde acsi praua impiorum facta admisissent, ac in eos exempla edi immania, cùm nihil mali commeriti sint: impios verò sic rebus vti secundis, ac si iustè, piéque viuerent. Itaque mala impiorum facta, ad pios homines pertinere, & pro ijs puniri & vexari: rectè verò piorum facta, ad impios homines translata esse, ac præmium & mercedem accipere. Quæ certè, si tantùm corporeis oculis contemplentur, animos frangant, necesse est: at si mentis oculi attollantur, non solùm iusticiam, diuinam illam quidem, & arcanum iudicium suspiciemus; sed & ineffabilem misericordiam, & liberalitatem immensam exosculabimur.

Verſ. 15. *Laudaui igitur læticiam*] Concluſio, in qua poſthabitis ijs, quæ mentis tranquillitati impedimento eſſe poſſunt, rerum omnium moderatam quandam voluptatem; quæ ex earum vſu percipitur prudenter laudat, & ad eam modeſtè nos inuitat.

Verumenimuerò eam trium enumeratione partium circumſcribit, cibi, potus, & gaudij: qui fructus capiendus nobis eſt ex labore eo, quo cunctis vitæ noſtræ diebus; qui nobis à Deo conceſſi, ſunt laboramus.

Gaudium vel læticia.] Metonymia eſt effectus pro cauſa, ſcz. Voluptate, quæ gaudium & læticiam nobis ingenerat. Inferiùs verò per Synecdochen pro parte tantùm voluptatis, alia ab ea, quæ cibo & potione continetur, non incommodè vſurpatur.

Porrò voluptas hæc & gaudium non effrenem illam & immodicam; de qua Cap. 2. ſed eam quæ in mediocritate quadam honeſta & liberali numeratur, diſertis verbis explanat.

Verſ. 16. *Sicut appoſui cor meum.*] Diſſuadet ab alia moleſta occupatione, quæ animi noſtri quietem perturbat, cùm in eam cogitationem incumbimus, qua contendimus aſſequi cauſas rerum antegreſſarum. Huius occupationis moleſtia augetur ex adiunctis, quòd diebus ac noctibus ſomnum oculis noſtris non capiamus.

Deinde verò eam occupationem inanem eſſe,

&

& inutilem, frustráq; suscipi, ex causa impotentia, imbecillitatéq; nostra, ex dissimilitudine, quæ vim quandam maiorum habet illustrata quasi diceret: Incassum laborem sumis cũ omni cura, cogitatione, conatu moliris, vt teneas causas factorum, quæ in orbe terrarum fiunt; eò enim vires tuæ non peruenient, neque quod quæris vnquam inuenire poteris, neq; etiam si sapere velis, vt id scias, minimè tamen Sapientia tua id præstabit, est enim, id tibi à Deo negatum. Ne igitur te excrucies, neq; verseris in ijs rebus, quæ nihil emolumenti tibi allaturæ esse videantur. *Quando cor meum*] Locus attẽtionis sæpissimè à Solomone vsurpatus. *Ad videndum occupationem anxiam, difficilem laboriosã quæ fit super terram*] Suprà hanc occupationem ærumnosam à Deo immitti, tanquam pœnam pronunciauerat: nunc verò eandem ab hominibus suscipi confirmat, quò vehemẽtiùs vrgeat homines & eorum cæcitatem arguat, qui semper in vetita nitũtur, & negata cupiunt. *Somnum non vident oculis*] Significanter additur, vt laboris ærumnas augeat, propterea quòd ob id, quo laborat, discruciat se miris modis miser, torquet, vexat, atq; fatigat, & tamen non poterit inuenire. Quare & infirmitas virium nostrarum perpendenda est, & ab ea occupatione abstinendum, & labor deponendus.

CAP. IX.

Vers. 1. O*Mnia hæc tractaui in corde meo*] Cum superioribus cohærent ista. Inenodabilis

subit

ſubit mentem humanam quædam cogitatio, quæ ex his, quæ accidunt, colligit, ſe nec in amore Dei eſſe, neq; in odio. Ex cauſa igitur efficiente, quòd tam homines, quàm eorum opera ſubiacent Dei poteſtati, ex circumſtantia paris euentus, ex ſubiectis partibus, explicatè diſſerit Solomon de hac moleſta vanitate, qua homo angitur. Quaſi diceret; Diligenter animaduerti, vt ea omnia dilucida & perſpicua redderem, quæ homines perturbant.

Primùm perſpiciunt & iuſtos & ſapientes viros, vnâ cum eorum operibus, in Dei poteſtate eſſe collocatos: Secundò, neque hoc ſolùm, ſed etiam & illis adiuncta, odium & amorem: quæ etiam ſi in oculis ipſorum ſint, ipſiſque præſentia; áttamen eos latet, an Deus eos odio proſequatur, an amore: cùm eadem & probis & improbis eueniant: vt ſequitur verſiculo ſequenti.

Etiam amorem, etiam odium non nouit homo, omnia tamen ante eos] Id eſt, cùm homines iuxta carnis impetum acti, vident ijſdem calamitatibus premi probros & improbos; neq; odium Dei in improbos, nec amorem in probos agnoſcũt; ſed hæc in incertis ponunt. Porrò hîc de ea ſpiritus certiſſima cognitione non agit, qua pij homines, ſpiritus ſancti teſtimonio, certiſſimè ſtatuunt, ſe à Deo amari; quàmuis eis Deus afflictiones immittit: cognoſcunt ſiquidem hæc eſſe crucem & excercitia quædã quibus ipſorum patientia, & fides excercetur:

cetur: quòd impijs non sic comparantur; sed reipsa sunt patibulum & poenæ, quas de illis Deus sumit.

V.2 *Euentus vnus iusto & impio*] Quasi diceret, eædē calamitates, ærumnæ, miseriæ, & afflictiones, eadē deniq; mors euenit, & iustis, & impijs atque bonis; puris & impuris, sacrificantibus, & non sacrificantibus; bonis & peccatoribus; periuris, & iniuratis.

V. 3. *Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt.*] Ex ijs, quæ mox commemorata sunt, ansam arripiunt homines, carnis seruicio mancipati, incidendi in lapsus foedissimos. Cor siquidem viciositate explent, & in exitium ruunt, aguntùrq; precipites, dum hîc apud viuos agunt, & his erroribus imbuti, & insania excæcati pergunt ad mortuos, poenas, quibus digni sunt daturi. *Cor hominum adimpletur malo.*] Id est, homines sese peccatis obfirmant, & prauitatem animi sui non frænant. *Et insaniæ in cordibus eorum sunt.*] Synecdoche: vt magis furentē impetum, quo impelluntur, exprimerit. *In vita eorum.*] Ad insauias revocandum est. *Et post ipsos ad mortuos*] Sunt qui post ipsum vertant, & cordi accomodant: alij verò ad vitam ipsorum. q.d. Postea quàm hîc insaniuerunt, & malitiæ operam dederunt, ad mortuos tendunt, & interitum.

V.4. *Quoniam ei qui associatur*] Quam commoditatem capere possimus ex coniunctione cum viuis hominibus, quantumis pessimis, quantumuis abiectissimis, docet è præstantia vitæ ad mortem. Primū ex circumstantia spei, quæ nos tenet de emendatione eorum.

Quæ

Quæ resipiscentia ex causa indicatur, versu sequenti: quòd viui, cùm nouerint se morituros, ea tacti cogitatione, ad meliorē mentem redire possunt: mortuis verò nulla superest cognitio. Deinde vtilitas indicatur ex minorum comparatione, quòd res quæq; contemptissima viuens, qualis est canis, præstet rei fortissimæ mortuæ, qualis est leo mortuus. Quamuis Solomon hìc videatur tollere, quod anteà laudauerat: nempe diem mortis, die natali esse meliorem: attamen, si diligenter perspiciatur, alia hìc, alia illic ratio est; quæ etiam è scopo Concionis satis intelligitur. Illic enim ad finem suum homines reuocat, hîc verò commoda, quibus ex viuentibus afficimur, proponit. Neq; verò hìc aliud ostendere vult, quàm vt agnoscamus, in hac vita locum nobis resipiscendi relictum esse, qui per mortem tollitur. Vulgatus interpres nimiùm deflexit ab Hebraica veritate; quæ sic habet: Nam ei, qui adsociatur ad viuos est spes. Vel sic: Nam ei, qui eligit viuos, est spes.

Vers. 5. *Nec habet vltra mercedem.*] Ex aliquot partibus potiorem esse viuentium conditionem, quàm mortuorum comprobat: nam in mortuis non est merces, quæ ex causa confirmarur, cùm eorum memoria obliuioni mandetur. Pariter odiū, amor, inuidia, zelus, vel æmulatio perierunt: nulla deniq; pars sit iam in mundo in omnibus laboribus, qui sub sole fiunt. Hinc satis apertè concluditur, neque mortuos viuis proficere, neque viuos mortuis prodesse: quare in hac

vita contendendum est vt bene agamus, neq; de suffragijs, vt vocant, in purgatorio potiundis confidamus.

Vers.7 *Vade ergo & comede in lat.*] Conclusio istius partis, qua hortatur nos, ad huius vitæ commodis placidè fruendum, ex causis, quæ ipsam iucundiorem efficiũt; quæ sunt cibus, potus, vestes mundæ & nitidæ, vuguentum, vxor. Prior autem pars de victu & potione approbatur ex causa maximæ consolationis nostræ, quòd sciamus, Deo opera factáque nostra placere, atque in ijs delectari. Fundamentum ergo veræ lætitiæ & gaudij est bona conscientia testimonio diuini spiritus confirmata. Rom.8.

Vers.8. *Vestes albæ.*] Per synecdochen vestes mundæ, vel propriæ, quòd earum maximus sit apud Orientem vsus: vt in sacerdotibus Ægyptijs. Assiduitas item & frequentia vngendi, vnguenta apud Hebræos commendabat ob nimios rigionis ardores.

Vers.9. *Vide vitam cum vxore.*] Pro, lætus commoditate vxoris vtere. Hæc in persona Solomonis dicuntur, quod & congruentius erit, & honestam voluptatem, quæ ex commodis huius vitæ peti potest, nobis proponit.

V.10. *Quodcunq; facere potest manus.*] Cohortatio ad laborandum ex enumeratione partium & adiuncto loco. Partes autem quæ recensentur, quatuor sunt, Opus, cogitatio, Scientia, Sapientia: quæ sunt tanquam incitamenra quædam, quæ adducunt nos ad laborem.

Circum-

Circumſtantia verò loci eſt ſepulchrum vel fouea, eò enim tendimus mortales. Quare id quod in noſtra manu erit, diligenter & pro virili peragendum eſt. Operis gratia actionem inſtituimus, ad quod cogitatione contendimus, & Scientiam (quæ ſapientiæ quædam inchoatio eſt) & demùm ſapientiam adiungimus; vt opus conſequamur.

Verſ. 11. *Redij & vidi.*] Narrat aliud vanitatis genus, quod ſollicitum hominem reddit, ac ex negatione quinq; partium, totidem cauſas liberationis non eſſe contendit: quæ quò ornatiores ſint, interdum adiuncta cùm ſubiectis, interdum etiam fines coniuncti ſunt. Sed more hominum hæc caſui & tempori ſubeſſe ait, quia cauſa certa, diuina nempè prouidentia ignoretur. *Velocium*] curſus ſubiectum, & adiunctum eſt.

Fortium pugna] Adiunctum. Fortes viri in prælio, tanquam in ſubiecto, verſantur: Alia verò, quæ ſequuntur, fines ſunt, & etiam & ſuperiora enumerata. Sapientes ſiquidem, & prudentes, & cognoſcentes, ſeu periti & artifices, eò tendunt, & aſpirant, vt victum, opes, gratiam, & fauorem conſequantur. Cùm igitur tempori ſubiecti ſint & caſui, veloces, fortes, ſapientes, prudẽtes, & periti; non in curſu, nec in prælio, nec in victu, nec in diuitijs, nec denique in gratia, tranquillitas animi collocabitur.

Verſ. 12. *Quia etiam neſcit homo finem ſuum.*] Amplificatio ex parium comparatione, quòd pariter

& homines tempus suum ignorent & nesciunt; quæ duabus similitudinibus illustratur. Altera est è piscatione; altera verò è venatione. Quemadmodum, pisces reti capiuntur, quemadmodúmq; passeres laqueo comprehenduntur; sic homines irretiti sunt tempore malo. Cuius temporis incommodum augetur, ex circumstantia repentini aduentus. *Tempus suum*] Metonymia adiuncti pro subiecto: pro, mortem suam, vel calamitatem suam, quæ certo & statuto tempore fit. *Sagena mala.*] Sagena metonymicῶs mala dicitur, quòd ea causa sit mali piscibus, qui ea irretiuntur: qua etiam ratione tempus infrà malũ dicitur ob coniunctã perniciem, quam hominibus adfert, qui tum temporis vel intereunt, vel premuntur: vt ex illa subitæ repentinæque inuasionis circumstantia magis perspicitur.

Vers. 13. *Hanc quoq; sub sole vidi sapientiam.*] Superiùs sic de sapientia verba fecit, vt eius dignitatem imminuere visus sit, cùm de ea, tanquam de re vilissima loqueretur. Sed ea sapientia humana fuit, ac prudentia; quam vanissimam esse dicit, perinde ac eius autor, homo nempe, vanus est. Nunc verò sapientiam eam, quæ, Dei munere hominibus tribuitur, laudaturus attentionem excitat, ex sapientiæ aidunctа magnitudine; ac ex vnica tantùm inductionis parte, eam potentiæ & fortitudini anteponendam esse docet. Partis autem adductæ illustratio est ex dissimilium comparatione, in qua singulæ antitheses ponderandæ sunt. vbi sapientia

pientiæ facta cũ fortitudinis, & præsertim belluæ factis conferuntur; quæ minora multò esse deprehenduntur. Tametsi præpotens Rex cũ validissimo & copiosissimo excercitu, paruam vrbem miniméque hominibus frequentem, obsidione cinxit: attamen eam non potuit expugnare; quòd à sapienti viro, licet tenui & paupere, eadem propugnaretur.

V.14. Protasis præcedit, ex aggerata ex adiunctis, regis potentia, effectis, obsidione, & munitionibus. Antapodosis sequitur ex vrbis liberatione, & causa efficiente absoluta, sapientia pauperis & abiecti hominis.

V.15. *Et homo non meminerat viri pauperis huius*] Optimè sic per præteritum plusquam perfectum verteretur, vt magis opponatur magnitudini, & potentia Regis, qui vrbem circumuallaueraut: vel vt vulgatus interpres, & nemo deinceps ampliùs recordatus est hominis illius pauperis. Quod sanè facit ad increpandum ingratos hominum aminos, qui tantum à Deo collatum beneficium citò ex ipsorum memoria excidi patiuntur, neque memoria sempiterna colunt.

Vers. 16. *Et dix ego meliorem esse sapientiam.*] Consectaria sententia de excellentia sapientiæ præ bellica virtute, robore, ac vi. *Cuius verba non sunt audita*] Ex quo euincitur, quàm ingrati ciues fuerint, sintque; qui pauperem illum sapientem despiciant, cuius ministerio ad eos ipsos liberandum Deus vti voluit.

Melior sapientia robore] Vel fortitudine; quæ tamem vi corporis cõparatur; nam hîc non agit de animi fortitudine; sed de robore corporis, vt ex loci circumstantia apparet.

Vers. 17. *Verba sapientum in quiete aud.*] Amplificatio ex comparatione minorum opponitur, ad demonstrandum, quanti sapientia facienda sit, quòd ea etiam in abiectissimo homine plus proficiat, audiatúrque quietiùs; quàm imperatoris clamor inter stultos homines. q.d. Sapiens profert verba sua placidè & tranquillè, & sic eadem recipiuntur animo sedato: vel verba sapientũ plus efficiunt sine tumultu, quàm clamor & strepitus, turbáq; dominantium inter stultos, qui non ratione, sed impetu reguntur.

V.18. *Melior sapientia quàm arma bellica.*] Ex minorum comparatione, quæ ratio videtur tacitæ dissimilitudinis, qua peccator insipiens cum viro probo & sapiente componitur. Sæpiùs enim vidi, non armis, non instrumentis bellicis rem geri; sed prudentia, consilio, ac sapientia: vnde preclarus exitus est rerum à sapiente susceptarum: at peccator stultus omnia permiscet bello, tumulu, & instrumẽtis bellicis, quibus putat se effecturum ꝙ cupit. Exquo euenit, vt multa magnáq; bona in discrimen adducat, pessundet, ac perdat. Sunt qui hîc decimum caput initium sumere putent, quòd noua sentia tractari videatur. Alij caput nonum ad secundũ decimi cap. vers. producunt. Iudiciũ verò penès lectorem erit.

Vers. I.

CAP. X.

V.1. MVsca morientes perdunt suauitatē vnguenti.] Sectio ista capitis sensum perturbat. Ita enim hæc cum superioribus cohærent, vt nullo modo diuelli aut posſint aut debeant. Nam cùm Solomō dixerit, errantem, seu peccatorem, seu stultum vnū, res bonas sua stultitia perturbare: id nunc egregia similitudine illustrat & confirmat. Qua docet quantùm cauendū sit, non modò à nimia stultitia, sed etiam à modica: imò verò, si fieri posſit, vt sapiens omnino vacuus à stultitiæ suspitione sit oportet. Nam quemadmodum mortua musca, paruum animal & vile, vnguentum fœtere facit, & fluere seu manare, sic sapientiæ & gloriæ fragrantiam & suauisſimum odorem, fœtidum reddit ac putrere facit vel tantillum stultitiæ? Libenter Solomon comparationes ex vnguentis adfert ad rei, de qua agit, enodationem, quòd illa frequentisſimo in vsu, maximóque in prætio apud Hebræos essent, quibus hæc scribebantur. Hoc apertè liquet ex historia euangelica de Maria caput Christi vngentis.

Vers. 2. *Cor sapientis in dextra.*] Discrimen inter sapientem virum & stultum, primùm ex causis, deinde ex effectis & actionibus amborum, asignatur, q. d. sapiens vir illustri ingenio & excelso animo est: adq; omnes res gerendas aptus: at stolidus mente omnia caret, & intelligentia, & ad actiones est ineptus. *Cor Sap. in dextera.*] Dextera pro peritia, vi, & habilitate. q. d. sapiens

piens habilis est, quia mente & intelligentia pollet: Sinistra verò ineptiæ confertur; quòd ea manus non satis apta sit ad res gerendas. V. 3. *Et etiā in via cùm stultus ambulat, cor eius deficit.*] Q. d. In eo vitæ instituto & ratione, quam ingreditur & tenet, ostendit se mente carere. *Et dicit omnibus, stultus sum*] non malè sic verteretur, vt referatur in prosopopœia obliqua ad ipsum: stultū quāuis etiā ad ipsum cor accomodatè possit reuocari; quod etiam per prosopopœian loqui faciat.

Vers. 4. *Si spiritus potestatem hab.*] Triplex huius versiculi expositio affertur. Prima, si dominatum nactus es, sic teipsum gere, vt omnia summa cum lenitate administres: sic enim fiet, vt etiam grandia peccata sanes. Altera, si ira, te dominantem apprehenderit, respice, ac considera eam, quam tenes, stationem, ne iræ impetus te in magna peccata dimittat, iuxta illud; qui non dominabitur iræ; infectum volet esse quod dolor suaserit; haud mens. Vltima, si dominus constitutus sis diligentis, vigilantisque officio fungere: Nam ea demissio animi, & relaxatio, & tanquam abiectio causa erit, vt in turpes lapsus incidas. Nam digeneres animos timor arguit. Ego verò in paraphrasi eam interpretationem sum sequutus, quæ mihi peristasi disputationis aptior est visa.

Vers. 4. *Est malum quod vidi sub sole.*[Post longam parecbasin, redit ad disputationem de mutuis erga se iustitiæ officijs, cùm principum, tum substitorum: atque

atque hæc ſubiungenda videntur verſ.8. cap.8. vt hac ratione tota ſecunda iuſtitiæ diuiſio tribus abſoluatur capitibus: nempe 8.9. & 10. interiecta tamen longa illa diexodo. Hoc autem in loco, veluti noua captata attentione, ab ea incipit vanitate, quæ animos mortalium diſcruciare ſolet, cùm infimi & abiecti homines (quos ad faſtigia vexit, quoties voluit fortuna iocari) in altum tolluntur; & in eo dignitatis gradu collocantur, quem viri ſapientes nobiléſque occupare debebãt. Cauſam tamen huius effectionis vaniſſimæ & fontem aperit, imprudentiam eſſe & errorem eius, penes quem eſt rerum, gubernatio. *Per errorem, qui exit à dominante.*] id eſt, à rege, qui reipub. adminiſtrandæ curam habet. Alij verò ad eum referunt, qui ita conſtituat gubernatores.

Verſ.*6*. Deus, vt noſtra ſcelera puniat. Reges, vt ſtultitiam ſuam patefaciant, ſic rectores creant, vt locum dignorum indigni teneant. Duobus verſiculi ſequentibus idem, mutatis verbis, diſſeritur: ex allegorijs duabus; altera è loco, altera è re equeſtri ſumpta. Verſ.7. Quemadmodum locus ſuperior eminet, inferior depreſſus eſt; & vt equitare potiùs quàm pedibus ire, dignitatem habet altiorem: ſic ſeruos viléſque homunciones eximijs honoribus affici; nobiles autem inglorios eſſe, certè imprudentiam & errorem in rege arguit. Quæ quidem ἀταξία mentes humanas perturbat.

Verſ.8. *Qui fodit foueam, incidet.*] Iuſtitiæ officia

ſubdi-

ſubditorum erga ſuos magiſtratus, ad vitæ tranquilitatem retinendam, deſcribit, ſub prouerbialibus allegorijs latentia. Primū præceptum eſt de non parando malo alteri; multóq; minùs principi. Quod in duabus ſimilitudinibus, in parium comparatione incluſis, deliteſcit. Id autem ex fine diſſuadetur, ne dum magiſtratibus incommodare nos putamus, malum ipſi nobis accerſamus. Quemadmodum qui foueam alteri fodit, interdum in eum incidit; ac vt is, qui materiam, aut ſepem diruit, à ſerpente morderi ſolet: ſic perindè cum eo fieri aſſolet, qui ſummo ſuo magiſtratui perniciē molitur. Huius rei exemplum eſſe poteſt Abſalomi factum, qui patrem Dauidem regno pellere meditans, interfectus eſt. Habemus etiam multa funeſtiſsima exempla noſtri temporis, adeò manifeſta, vt à nobis digito commonſtrari non ſit neceſſe.

Verſ. 9. *Qui transfert lapides afflig.*] Secundum præceptum ad animi tranquilitatem eſt, ne moueamus loco ea, quæ benè conſtituta, & à gubernatoribus fundata ſunt, ob incommodum coniunctum, quod in ijs ineſt. Quemadmodum enim is qui lapides transfert, ab eis affligitur, & in terram proſternitur; & qui ligna findit, periclitatur: ſic is, qui benè poſitas ordinationes mutat, detrimentum ſibi affert. Generali ſententia ex hypotheſi ad theſim eſſe poteſt; tum ad religionem, tum etiam ad politiam, ad quamcúnque denique rem referenda.

Verſ. 9. *Si retuſum fuerit ferrum.*] Tertium præ-

ceptum

ceptum de ſapientia dirigenda & acuenda. Quemadmodùm enim ferrum obtuſum, ſi non politur, & exacuitur, inutile eſt, bellantéſque fatigat, ſi autem acuatur, multùm prodeſt: ſic ſapientia, rectificatione, directione, & induſtria, magis ac magis excellit. Eſt tamen perpendendum, quòd hîc ſapientia eſt tanquam antapodoſis, & redditio contraria duorum præcedentium verſiculorum in quibus ob non attentam & conſideratam erga ſuos principes agendi ratioñé, certũ periculum imminet, in hoc auté hemiſtichio aſſeritur, quòd ea excellentia directionis, rectificationis & induſtriæ tota è ſapientia pendeat; quæ vitæ actiones optimè, & ſine periculo regit.

Verſ. 11. *Si mordeat ſerpens in deſerto.*] Quintum præceptum de maledicentia in principes fugienda. Eleganter & perappoſitè comparatur ſerpenti non incantato obtrectator; & linquax. Tam enim linguæ ſuæ virulento maledicto nocet obtrectator; quàm ſerpens non incantatus, cùm mordet, venenos ſuo perniciofius eſt. Quare perinde ac fugimus ſerpentes; ex æquo maledicos fugere par eſt. Serpens enim, cùm incantatus eſt, etiamſi mordeat, lædere non poteſt. Alij reddunt, ſine ſibilo, ſed accõmodatior videtur prior interpretatio, quòd ad rerum naturam magis accedat.

Verſ. 12. *Verba oris ſapientis gratia*] Quintum præceptum in diſſimilitudine ponitur, quæ eſt inter ſapientis verba & inſipientis. Siquidem ſapiens ſermone

ſuo

ſuo gratiam & fauorem ſibi alijſque apud principē conciliat: inſipiens verò & ſtultus, tantùm abeſt, vt id efficiat; vt etiam ſibi perniciem afferat, & calamitatem; vnde ſermone ſuo ſeipſum perdere ſolet. Quare ſapientiæ opera danda eſt, ad gratiam nobis comparandum; & ab ſtultitia abhorrendum, quæ ad perditionem nos ducit.

Verſ. 13. *Initium verborum eius ſtultitia.*] Vt perſpicua magis & illuſtris veritas illorum præceptorũ ſit, quæ ad comparandam ſapientiam mentémque tranquillandam tradita ſunt; ſtultitiæ diſſimilem rationem & viam proponit, ex quibus ſtultum & ſibi & alijs detrimentoſum eſſe, facilè dignoſcetur. Primùm comparatio parium indicat orationem ſtulti infructuoſam eſſe & moleſtam; quòd eius initium, eius etiam exitus aliud nihil, quàm ſtultitiam & inſaniam ſapiat. Stulti igitur ſermo, cuius nulla pars ſtultitia caret, quî poterit eſſe proficuus?

Verſ. 14. *Stultus verba multiplicat.*] Altera ad cognoſcendum ſtultum nota eſt, ex circumſtantia multiplicationis verborum, prædicta ignorantiam in eius proſopopœia incluſa. Ea enim eſt ſtulti hominis impudens peruicatia, vt cùm ſibi neſciat, alijs tamen author eſſe non deſinat, vt vitam more belluarum tranſigant. Multis enim verbis affirmat: Nemo mortalium futura nouit. ecquis ei futura patefaciet? quare his præſentibus rebus fruamur, de futuris minùs ſolliciti. Sed hæc ora-

tio

tio, cùm (per mimeſim ſtulti) Dei timorem & prouidentiam reijciat, ſatis ſuo inditio ſtultitiam ſuam aperit. Alij verò non ſtulti mimeſin eſſe, ſed Solomonis orationem exiſtimant; qui ſtulti effrenem loquendi impotentiam arguat. Qui cùm recta præcipere piæ nimio loquendi ſtudio, non curet: de futuro exitu admonitus in viam redeat: & reſipiſcat. Vtramque interprætatio in paraphraſi attingitur.

Verſ. 15. *Labor ſtultorum affliget eos.*] Tertia & vltima nota poſita eſt in labore ſtulti, cuius moleſtia & inutilitas augetur ex cauſa efficiente, ſumma eius ignorantia, quæ eleganti ſimilitudine in allegoria prouerbiali incluſa, illuſtratur. Stultus immò dico ſuo labore ſeſe fatigat, vexat, ac torquet; neque tamen hilum proficit, aut aliquid promouet; quia ignorat, quid agendum ſit. Quemadmodum ij, qui ad urbem tendunt, ſi rectum iter neſciunt, ad alia itinera & diuerticula ſeſe conferunt; quibus ex antlatis laboribus, confectiſq; itineribus, adhuc ad vrbem minimè perueniunt; ſic ſtultus, quoniam rectam ſapientiæ viam ignorat, fruſtrà ſe labore diſcruciat.

Verſ. 16. *Væ tibi terra, cuius rex puer eſt.*] Finem impoſiturus huic tractatui, de mutuis iuſtitiæ officijs principum erga ſubditos, & ſubditorum erga principes, quærimonia admodùm pathetica deplorat eorum regnorum calamitatem, in quibus reges, aut ætate, aut ſenſu pueri, ad clauū ſedent; & pro ſuo arbitrio,

ve

vel (vt rectiùs dicam) libidine, omnia moderantur. Itáque hîc dissimilitudo boni & mali magistratus ex eius causa & effectis, temporis circumstantia exornatis, ponitur. Protasis præcedit de malo magistratu, ex duabus partibus declarato, tum insipiente principe & rege; cuius stultitia causa est, vt subditi miseri sint & infoelices; tum gubernatoribus, & princibus Regi adiunctis, qui comessationibus indulgent, regni administratione neglecta.

Heu tibi terra] Metonymia subiecti pro adiunctis, hominibus terram incolentibus, & Synecdoche totius pro parte, nempe in qua regnum constitutum est. *Rex puer est*] puer pro stultitia aut malitia, quæ comites esse solent pueritiæ, sumitur. Nam Iosias, Dauid, præstantes reges fuere & principes; pueri tamen ætate, non sensu.

Manè comedunt] id est, toti sunt in cute curanda, & voluptatum indulgentia, nulláq; cura regni regendi tanguntur. Homerus & post eum Horatius graphicè, in Alcinoi aula istorum principum mores depinxerunt. In cute curanda plus æquo operato iuuentus: cui pulchrum fuit in medios dormire dies & ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.

Vers. 17. *Beata terra cuius Rex nob.*] Contraria redditio & antapadosis similitudinis antegressæ: causas item boni magistratus ex eadem temporis circũstantia, & fine in breui similitudine incluso. Quòd ea demùm terra subditique beati sint; qui regem nacti sunt nobilem & generosum, quorúmque principes suo tem-

pore

pore edunt; non huius rei gratia, vt ebrietati dent operam, poculísque certent; sed tantum cibi potusque sumant, quantum sibi satis esse ducunt ad corporis vires reficiendum, & fortitudinem, eiusque robur retinendum. Sic enim fiet, vt meliùs prouideant, quid regno ciuibúsque vtile sit. *Filius candidorum.*] Periphrasis optimi regis, benè, beatè, & sanctè educati. Vt enim albus color cæteris præstat alijs coloribus, quòd plus ei lucis coniunctum sit: sic bonus Rex amabilis est, qui è nobilibus & generosis parentibus procreatus, & sanctissimis præceptis, candidissimísque exemplis institutus & conformatus ad præclarè summáque cum laude clauum regni tenendum, & quò velit dirigendum. *In robore & non in potatione.*] Id est, vt vires resumant, non vt compotationibus sese inebrient; & cibo se ingurgitent. Vnde sequatur infinitas malorum.

Vers. 18. *In pigritijs corruit contignatio.*] Comparatio ad industriam & diligentiam adhibendam ex adiuncto incommodo, & iactura, quæ fit in pigritia & otio. Sed suo more Solomon id allegoricè ad regem regníq; administrationem dirigit, quod ex œconomia trãslatum est, Quemadmodum domus ruina sequitur; si adsit ignauia & inertia: sic regnum euertitur & labefactatur per Regis remissionem, incuriam, & cessationem. *Pigritijs*] Duale Hæbraico more, ad maximam pigritiam animíque remissionem exprimendam,

Vers. 19. *In risu faciunt panem.*] Graphicè depin-

git hîc Solomon aulicos mores prophanorum principũ, primùm quòd moriones potiùs ad risum alant, quàm sapientes ad consilium in suis palatijs admittant. Deinde ita genio indulgent, vt de ferculis & condimentis perpetuò cogitent; vinum prætereà addant, non solùm ad lætitiam, verùm etiam ad crapulam & ebrietatem. *Sed argentum exaudit omnia*] Vulgatus vertit: Et pecuniæ obediunt omnia explanata Hebræorum idiotismo. Porrò hîc partim innuitur in aulis illorum principum ad tot tantósq; sumptus faciendos, hinc inde quo iure quáq; iniuria à miseris subditis nimiũ argenti corradi: partim ob gubernatorum iniustitiam, & ad eorum luxum explendum, omnia illic esse venalia, quemadmodũ Salustius in historia Iugurthina de repub. Romana refert. Vers. 20. *Etiam in cogitatione tua regno ne detrahas*] Quùm in ijs, quæ anteà dicta sunt, vitia regum & principum depinxerit, ne inde sumeretur occasio vel de rege principibusq; detrahendi, vel quicquã aduersus eos audendi; eleganti vtilíq; præcepto hoc caput, totamq; hanc disputationem de subditorum officijs erga magistratus, claudit. Quod summòpere facit, ad eam, quam quærimus, animi tranquillitatẽ retinendam. Præceptum igitur hoc est, ne Regi principibusq; maledicamus, etiam in intima secretaq; animi cogitatione. Quod ex circumstãtia iudicij approbatur. Sed id vestitur allegorica translatione, ex auibus sumpta. Regi ne maledixeris: nã aues coeli id deferent; & tibi ipsi tuo maledicto quàm celerrimè

peri-

periculum creabis. Siquidem cùm diues sit & potẽs; facultatem habet vindictam de te sumendi. *In cogitatione.*] Ab intimis etiam amicis hac in parte cauendum; vel (quod tutius est) non maledicendum quidem regi. *Diuiti.*] Synecdoche pro potentioribus. *Aues cœli.*] Haud dissimilis est locus Persianus, in quo alludit Satyricus ad fabulam Midæ Regis.

Men' mutire nefas, nec clam, nec cũ scrobe? nusquam.
Hoc tamen infodiam. Vidi, vidi ipse, libelle.
Auriculas asini quis non habet?

CAP. XI.

Vers. 1. M*Itte panem tuum.*] Aggreditur tractatum de liberalitate, quæ etiam est pars iustitiæ; præcipítque, vt beneficentia & benignitate erga omnes vtamur, tam notos, quàm ignotos; & præcipuè erga eos, qui vicem rependere non posse putantur. Quod vt magis suadeat, confirmat ex promissione, circumstantia temporis ornata. *Mitte panem tuum.*] Synecdoche, pro, beneficium quoduis. *In faciẽ aquarum*] Periphrasis eorum, qui mox abituri sunt, minimèq; remuneraturi. *Quoniam in multitudine dierum*] Id est, vel, Deus, tibi illud beneficiũ acceptum feret; vel, quandò nihil minus cogitatibis, homo ipse, cui tu tribuisti, cumulatè tibi redditurus est.

V.2. *Da portionẽ septẽ, nec nõ & octo.*] Pars est supe-

rioris præcepti, in quo eleemosinam extra personarum respectum conferendam docuit. Nunc iubet, vt eam pluribus largiamur. Quod ex ignorantia impendentis calamitatis comprobatur. Benè siquidem pluribus faciendũ est, properea quòd nescimns, an ex his quispiam nos afflictione pressos, ope sua sit iuuaturus. *Da portionẽ.*] anteà panem, beneficiũ. *Septem & item octo*] .i. sæpiùs vel plurimis. Nam septẽ numerus perfectionis est; octo verò addit ad perfectionẽ septenarij, omnibus tribuẽdũ: vt pariter Christus ait, omni petenti. *Nõ nosti quid erit mali.*] id est, fortasſis mortem obibis, & benè facere post mortem non poteris: vt exponunt nõnulli. Quãuis prior, quam adduximus, interpretatio, magis placeat.

V.3. *Si repletæ fuerint nubes*] Illustres similitudines duæ in hoc versiculo adhibentur ad liberalitatẽ prompto & alacri animo excercendam: neq; subtiliùs cogitandum notóne an ignoto beneficium præstandum sit, sed cuiuis opera nostra indigenti. Quemadmodum nubes aqua impletæ, non possunt in terram in breui non fundere; sic nos in alios benefici simus, oportet. Altera, sicuti arbor quocúnq; in loco sata sit, fructũ ibi permanens producit: sic nos alios quacúnq; ratione & modo, loco, & tempore, iuuare debemus. *Austrum & aquilonem*] Synecdoche pro omnibus mundi partibus. Nostri hanc secundam similitudinem commendationem esse volunt, atq; in hac vita benefaciendum, quòd post mortem nullus sit benefaciendi locus. vide paraphrasin.

Vers.4.

V.4. *Qui obseruat ventum non seminat.*] Ex duabus item his similitudinibus, ab agricultura sumptis; dandi rationem neq; diutiùs proferendam, neq; in aliud tẽpus differendam; sed oblata occasione statim largiendũ docet. Nam quemadmodum qui ventum obseruat, interdum commoditatem seminandi amittit; quíque nubes attentiùs spectat, nunquam metere solet: Sic is, qui accuratiùs considerat, & subtiliùs exquirit largiendi tempus & opportunitatem, nunquã in alios beneficus erit. Vers.5. *Quomodò ignoras quæ sit via spiritus.*] Par identidem similitudinum est, ad remouendam ignorantiam, quæ obtendi solet, ne alios beneficentia prosequamur, vt nimis exquisitè discutiamus omnem præbendi rationem. Quemadmodum enim ignoramus, vnde ventus flat, quóq; iterum dirigat; ac vti fœtus in matris vtero conformationem non comprehendimus: sic operam Dei rationem certam tenere non possumus. Alij non ventum, sed spiritum vertunt, pro hominis animo, fœtui concepto infundendo. Christus Ioan.4 eadem similitudine vsus est, de fœtus admiranda formatione, compagéque & structura membrorum corporis humani. Qua etiam de re Psalmographus multa disserit Psal.139. Domine probasti me &c. *Mane semina semẽ tuum.*] Conclusio videtur adhortationis ad beneficentiam, eleemosinam, & liberalitatem, quòd mane & vesperi, id est, omni tempore benefaciendũ sit. Sed more suo allegorijs ex agricultura translatis, atq; ad rem præ-

ſentem accomodatis, propoſitum ſuum exornat, & ſimilitudinibus illuſtrat. Verumenimuerò tota hæc de benignitate diſputatio in hanc ratiocinationem includi poteſt: Si potes benefacere, neq́; ſcis, ecquod officium gratius futurum ſit, ecquod beneficiũ commodiùs ceſſurum: cuiuis quouis tempore benefacito. Sed potes, & neſcis, ecquod officium gratius futurum, ecquod beneficium commodiùs ceſſurum. Ergo cuiuis quouis tempore benefacito.

Argumentum eſt à cauſis efficientibus, facultate, & ignorantia beneficij rectiùs & meliùs conferendi; & poſt concluſionem poni videtur. Concluſio inter propoſitionem & aſſumptionem interijcitur. Aſſumptio varijs ſimilitudinibus ornata eſt, & interdum cũ propoſitionis ſententia confuſa & permixta priori loco ponitur. *Dulce lumen & delectabile.*] Epilogus concionis hîc incipit. Fœlicitatem enim neq; in humana ſapiẽtia, neq; in voluptatibus, neq; in mundana potentia, nec deniq́; in diuitijs inueniri poſſe hactenus docuit. Nũc verò præcepta tradit, quibus homines, & præſertim adoleſcentes inſtituit, vt Deum a iuuentute pueritiáque ſua metuere incipiant. Quoniam verò magnũ impedimentũ ad id præſtandum eſt florens ætas, iuuentuſq́; virilis; reuocat eum duobus firmiſſimis argumentis. Alterũ eſt è circũſtantia vanitatis amplificatæ è comparatione minorũ. q. d. iucũdiſſima quidẽ & ſuauiſſima eſt hæc vita: ſed ſi anni, quos in hac vita viuit, etiamſi lõgiſsimi plu-

rimiq;

rimíq; sint, cum ijs conferantur, quos in tenebris & sepulchro acturus est iuuenis, deprehendet nihil aliud, quã meram & inanem vanitatem vitam suã fuisse. *Dulcis.*] Metaphora à sapore & gustatu ad lucem & aspectũ: vbi periphrasis est bonæ iucundæq; vitæ. *In tenebris.*] Metonymia pro sepulchro, adiunctum pro subiecto. Est enim cum sepulchro coniuncta lucis iucunditatisq; priuatio. Et est antithesis ad ea, quæ superiùs posita sunt.

Lætare ergo iuuenis in adolescentia.] Conclusio (vti quibusdam videtur) ironica, & permissio, in quâ ex altera ratione causa efficiente, iudicio diuino, effrænatam adolescentiam, qua deterior iuuenis sit, & rabiosam ad libidinem impetũ frænare, & compescere nititur, deinde cùm duo mala maxima iuuentutẽ vexent; quorum primum ira est, appetitus quàm vindictæ, qui magis in animum cadit: alterum vitiositas & propensio ad voluptatem, quæ magis corpori propria est: horum vtrúmq; ex repetito vanitatis adolescẽtiæ, iuuentutísq; argumento, ex animo iuuenis remouet: vbi notandum duplicem esse aberrandi rationẽ; altera si per iram imitemur feras: altera si voluptatibus imitemur pecudes. Alij verò nõ hoc ad permissionẽ ironicam referunt; sed, vt superiùs, hîc etiam Solomon ad moderatam voluptatem suscipiẽdam iuuenem hortari putant, quanquam illud iudicij firmamentum, quod assumit, magis ad iuuenem reprimendũ, quàm ad moderationẽ voluptatis ostendendã facere videatur. Ego verò cordato lectori suũ iudiciũ relinquo.

Porrò facultates præcipuè & principes, quibus voluptati iræq; inseruimus, sunt cor, oculi, & caro, seu corpus; quas mirificè ornat ex subiectis rebus, in quibus versantur. Caput 12. ab hac clausula & sententia nonnulli inchoant, quòd sententia sequens coniuncta sit cũ hac, & tanquam ex ea pendere videatur.

CAP. XII.

Verſ. 1. M*Emento creatoris tui in diebus iuuẽtutis*] Quid iuuenis efficere in adolescentia, quid in iuuentute meditari debeat, quibus deniq; rebus eum incumbere oporteat, sapienter quidem ac diuinè indicat Solomõ; id est, Dei Opt. Max. qui eum condidit, memoriam tenere; eius recordari semper, atq; meminisse, & ad Dei timorem, assuefieri, ab eo condocefieri, & tanquam mansuescere iugo timoris Dei, in iuuentute atque adolescẽtia suscepti. Iuxta illud Ieremiæ: Bonum est homini, cùm portauerit iugum Domini in adolescentia sua &c. Quæ adhortatio illustratur ex dissimilis senectutis collatione, cuius magnifica mirificáq; descriptio tum generalis tum specialis adhibetur. In qua licet cuiq; non adumbrata senij vestigia, & lineamenta, sed viuos & expressos senectutis colores cernere. Ad quod efficiendum more suo assumit inuolucra & tegumenta variarum translationum, è rerum natura, cuius erat peritissimus, petitarum.

Verſ. 2. *Antequam tenebrescat Sol.*] Ex mirifica elegantique

gantiq; ſemij deſcriptione, quæ ferè inepta ſit ad res gerendas, hortatur Solomon iuuenem, vt in adoleſcentia & iuuentute Deum aſſidua meditatione perpetuáque memoria colat; quò Deum metuens, in eum peccare non audeat. Miſeriæ autem & calamitates ſenectutis magnificè depictæ ſunt, ex circumſtantia primùm incõmodorũ quæ extrinſecus ſeſeofferunt, tenebris nempe. Nam cùm propter copiã & collectionem humorum qui ex cerebro in oculos decidunt, minùs vident ſenes, tumque exiſtimant Solem, lumen, lunam, & ſtellas obtenebreſcere & obſcurari; cùm ipſis reuerâ deficiat cernendi vis, & facultas. Id autem quod additur de reditu nubium poſt pluuiam perinde eſt acſi diceret, quòd omnia ſunt ſenibus miſera & calamitoſa, exiſtimant ſe vno periculo liberatos eſſe, cùm pluuia decidat; ac mox nubes adueniunt, quæ eos perturbant. quare à calamitate immunes eſſe non poſſunt, ſed miſeria miſeriæ aggeratur: vnde ſequitur cumulus ſummæ infœlicitatis corporis, quæ eſt mors.

Verſ.3. *In die qua trement cuſtodes*.] Pergit deinde expedire alteram deſcriptionis partem, quæ continet cauſas ſenium conficientes; debilitatem nempe membrorum præcipuorum, & infirmitatem ſenſuum: membra autem ſunt brachia, manus, crura, pedes, dentes, oculi, os, nares, aures deniq; & auditio. Hæc autem omnia, quæ ſummam membrorum imbecillitatem arguunt, explicantur allegorijs, ex rerum natura deſump-

tis, sed acutè & subtiliter accomodatis. Antequam commoueantur (vel tremant). *Custodes domus*] Quæ sunt manus, quibus pericula domui, id est, corpori imminentia arcemus; quibus etiam corpori bona procuramus, mala depellimus & propulsamus.

Nutabunt viri fortissimi.] Vel roboris viri & validi vacillant. In pedibus posita est tota corporis vis & robur, eiúsq; sunt bases & fundamenta. *Et otiosæ erunt molentes.*] Supple, imminuto numero: id est, dentes, qui instar moletrinæ cibum molent, iam præ paucitate minùs suum officium facient. *Et tenebrescunt videntes per for.*] Id est occuli, qui eas oris concauitates occupant, quæ speciem fenestrarum & foraminum præbent.

Vers.4. *Et claudentur etiam ostia in Platea.*] Nares intelliget, vel os: nam ad aures vocem non accomodari ex eo perspicuum, est, quod mox adijciet. Si denaribus intelligat illud. *Cum exili voce molentis,*] Erit perobscurum nisi referamus ad sonitum, qui fit ex coriza sensim & guttatim defluente. Alij ad arteriam vocalem referunt, quæ vocem exilem & tenuem emittit, ob sumptionem paucioris cibi & potionis. *Et consurgent ad vocem volucris*] Hoc aures respicit, senes enim vsqueadeo acuta sunt auditione, vt minimo, vel nullo potiùs sono celerrimè excitentur. *Et obsurdescent filiæ cantiu.*] Id est, aures quibus carmina, cantus, & cantiones percipere solebant.

Vers.5

Verſ. 5. *Excelſa quoq; timebunt. &c.*] Deſcriptionis ſenij pars tertia, ex circumſtantijs, timore & metu locorum excelſorum, imbecillitate greſſus, capitis canicie, & appetentiæ deiectione: quæ amplificantur ex breui, ſed pulchra mortis humanæ deſcriptione, ex ſubiecto loco ſepulchro, & adiunctis plangentibus. *Excelſa quoq; timebunt.*] Laborant ſenes capitis imbecillitate, ideóq; ad loca excelſa accedere reformidant. *Formidabunt in via.*] ingreſſus eorum debilis eſt atq; infirmus, trementéſq; incedunt, vnde tremores & illiſus eſſe ſolent in via.

Florebit amigdalus.] Capilli cani propter imminutam caloris vim, quæ humores & excretiones ſatis concoquere non poſſit. *Impinguabitur locuſta*] non rectè impinguabitur, ſed potiùs onerabit locuſta. Id eſt, impotens ſenex eſt & inualidus, vt rem quamuis leuiſſimam ferre aut geſtare nequeat, qualis eſt locuſta, quæ ei ſummo oneri erit. *Diſsipabitur capparis.*] Id eſt, appetentia, & vis illa appetendi. *Nam it homo ad domum ſeculi ſui.*] Id eſt, ad ſepulchrum, quod ob multa tempora & annos, quos ibi eſt tranſacturus, domus æternitatis illius appellatur. *Et circuibunt in platea plangentes.*] Id eſt, comites funus efferentes.

Verſ. 6. *Antequam non conſtringatur.*] Quarta deſcriptionis ſenij pars, è quatuor continuæ diſſoluti-

diſſolutionis præcipuis partibus. Primò conſtrictione, vel ruptura dorſalis medullæ (quæ more ſuo ab eo eleganter funiculus argenteus dicitur. Secundò perfluxu cerebri ob fractionem reticuli, quod cerebrum cohibet; & fiala aurea appellatur, ſeu lenticula: quòd flaui fuluíque coloris ſit aurum. Tertiò diſſipatione conceptabulorum ſanguinis, quæ è iecore, tanquam è fonte ſanguinem ſuſceptum alijs corporis partibus miniſtrant. Quartò deniq; capitis diſſipatione, quòd tanquam rota ex corde ſpiritus ad ſe trahit.

Verſ.7. *Et reuertitur puluis in terram.*] Clauditur ſenij deſcriptio. deniq; è ſeparatione animi à corpore, corporis reuerſio ad terram eſt, ad materiam nempe ſuam, ex qua factus eſt; vt ex primi hominis effictione conſtat. Gen.1. Animi autem reditio ad Dominum eſt, ad cauſam, ſcilicet ſuam efficientem. Hîc igitur accurata & exacta hominis fabrica perſpici poteſt, ex eius partibus, quæ in hominis ipſius morte & interitu recenſentur & enumerantur. V.8. Aſſumpto demum themate, quod fundamentum totius quæſtionis fuit, paulatim progreditur ad concionis perorationem.

V.9. *Cúmq; eſſet ſapientiſſimus eccleſiaſtes*] Amplificatio laudis Solomonis ex eius factis: quòd populum docuerit, perſcrutatus ſit, & compoſuerit parabolas multas; quòd ea, quæ expetenda ſint & ſequenda inueſtigauerit; quòd recta certáque perſcripſerit, & res veras protulerit, & ediderit. Deinde eſt doctrinæ eius

illuſtratio,

illustratio è duabus breuibus similitudinibus : quòd verba sermonésq; sapientum virorum ita acuti sint, pungant, & excitent, vt stimuli: sic inhæreant mentibus hominum, vt trabales claui plantati, id est benè fixi; qui facilè non pelluntur nec extrudũtur. Postremò est commendatio collectorum ex labore, quem sumpserunt, ad hæc collectanea agenda : quæ tamen sunt concessa & tributa, à spiritu sancto, qui pastor vnus nominatur. Alij verò Mosem intelligunt, quòd hæc è lege, tanquam sapientiæ vberri mo fonte promanarint. Sed ad idẽ reuertitur; cùm legis autor Deus fuerit. Sunt, qui versiculum hunc sic intelligant, vt verba sapientum tanquam stimuli, & collectionum authores tanquam claui infixi sint.

Vers.13. *His ampliùs fili mi ne requiras.*] Conclusio totius concionis & peroratio, quòd hæ admonitiones satis sint ad benè beatéq; viuendum. Quod ex adiunctis duobus augetur; tum ex infinita faciendorum librorum cupiditate, (qui morbus insanabilis & cacoethes á Iuuenale appellatur) tum etiam molesta eorum lectione. Hebr. Excellentiùs ex his fili mi admonitus esto. Id est è libris sacris haurienda omnis sapientia est, & omne consilium, quo rationes tuas componas, & instituas & sermonens sapientum sint duces tui, ad vitæ tuæ conformationem.

Vers.13. *Finem loquendi.*] Repetitur summa totius libri; imò vero omnium nostrarum actionum basis

&

& fundamentum; quod in duobus collocatum est; vt Deum timeamus; vtq; præcepta eius & mandata obseruemus. Horum autem approbatio est ex duabus causis: altera fine; quòd huius rei gratia conditi simus, & hæc sit tota nostra perfectio, nostérq; finis propositus: altera efficiente; quòd de omnibus rebus & factis nostris etiã occultissimis & maximè arcanis, tam bonis, quàm malis, simus Deo rationem reddituri, deq; illis iudicium Domini subituri.

Hebr. Summa rei omnia audita sunt.] Id est, Iam auditum & expositum est, quicquid ad rectè faciendum pertinet. Vulgatus interpres per futurum interpræ tatur, refertque ad sequentia duo præcepta.

Has notas summatim ex prolixioribus perlectionibus collectas candide lector, beneuolo animo accipe: accuratiorem methodum habiturus, si integræ huius dignissima disputationis perlectores typis manduntur.

FINIS.





Argumentum cohelet, id est concionatoris. per A. C.

Sub globo solis, nihil est perenne,
Nil nisi vanum, miserum quid non est?
Prater humanos animos, in isto
Corpore sparsos:
Et Dei legem, monitusq́; suaues,
Spiritus sacri: docet hic timorem
Numinis, cuius solitum fauorem
Sensimus omnes.
Hic bonis, lætis animis fruamur,
Quæ Deus donat, meritas agentes
Gratias, summo superûm magistro,
Atq́; tonanti.



Solomon alloquitur Lectorem.

SI quæris quis sum, sum Rex: si nomen, in ore est:
Sum Solomon magnus: sum concionator: & autor
Libri: qui tradit sub cœlo esse omnia vana.
Vana superstitio, diuinus cultus inanis:
Vanæ diuitiæ: vanus decor omnis, honósq;,
Fastus, nobilitas, & stirps longo ordine ducta:
Copia dicendi, medicina, sophistica, fraudes.
Ergo, (inquit Solomon) res est dignissima virtus:
Digna viro pietas, castus timor, atq; verendi
Numinis amplexus: cognoscere corpora nostra
In terram redigenda: aminmósq; ad regna beata
Esse reuersuros vitæ; sunt vnde profecti.
Ergo timere Deum caput est: sapientia summa
Nosse Deum: fideiq; Dei nos dedere totos.

FINIS.




THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY